

卷之三

卷之三

四

五

卷之三



A IX 88.



222475
L

ACTA ET CON-
STITUTIONES SYNODI DIOE-
CESANAE, QVAE FUIT CELEBRATA
VVratislavia in Insula S. Ioannis, Anno

M. D. XCII. mense

Octobri.

Presidente

ILLVSTRISSIMO ET REVE-
RENDISSIMO PRINCIPE Ac DOMINO,
Domino Andrea Episcopo VVratislauense, Co-
rona Regni Boemia Principe Ligo, superioris
Et inferioris Silesia Capitaneo

Hactenus Latus supremo. Craygoroz Niss: Pps



IMPRESSA NISSAE, PER ANDREAM
Reinheckel. M. D. XCV.

ANDREAS E P S WRATISLAVIEN





OS ANDREAS, DEI
GRATIA, EPISCOPVS VVRA-
tislauiensis, Corona Regni Boemia
Princeps Liginus, superioris & infe-
rioris Silesia Capitanus, tali Clero

Dioecesis nostra cuiuscunq; dignitatis & gradus
salutem in Domino. Quo instituto & consilio
Synodum Dioecesanam celebrauerimus, prolixiori
aliqua & superuacanea repetitione opus esse non
existimamus. Prater id enim quod à nobis euiden-
tissima & grauissima rationes & cause in ipso Sy-
nodii celebranda initio expositæ fuerunt s neminem
ex vobis reperiri arbitramur, qui non vel ipse sum-
mam urgenteriq; utilitatem huius instituti, nullo
etiam monente agnoscat, velex sacro sancti Conci-
lij Tridentini Decretis & sanctionibus: exemplo
item Ecclesia Catholica Antistitum, & laudabili
utiliq; consuetudine intelligat. Nos sane hoc re-
spexit maximè ut maiorum insistentes Vesti-
gijs, communicato consilio & accurata delibera-
tione, in Synodo nostra ea constitueremus, qua huic
Dioecesi publicè priuatimue prodeesse viderentur:
Quo nomine easdem deliberationes de Synodi vo-

luntate scripto comprehendendi curauimus, ut ad mul-
torum peruenirent notitiam & perpetuitati inser-
uirent. Quia vero docuit, monuitq; nos ea fides &
obedientia, qua Sancta Sedi Apostolica & deuincti su-
mus, & quam hactenus integrum & illibatam
conseruauimus, ut quid in Synodo Dioecesana
actum esset, quidue conclusum, iustissimo eiusdem
Sedis Apostolicae iudicio & censuræ subiiceretur:
omnia ea sicut gesta & conscripta fuerunt, Sanctis-
simo & Beatisimo in Christo Patri ac Domino,
Domino Clementi, diuina prouidentia huius nomi-
nis Papa octavo, Sacrosancta Romana ac Univer-
salis Ecclesia Pontifici Maximo, Domino nostro
clementissimo, Romanam transmisimus. Sua au-
tem Sanctitas, licet alijs gravissimis totius Chri-
stianæ Reip: oneribus, & difficilimis negocijs,-
se unquam alias, nunc maxime implicata esset;
tamen sicuti fidelissimus Christi ouium pastor, no-
stra Dioecesi deesse noluit & quin ex paterna be-
nignitate, processum & Decreta Synodi nostræ, Sa-
cra congregatiōni Illusterrimorum patrum Tri-
dentini Concilij interpretum, iudicio, expendenda
dedit quo facto Illusterrimus & Reverendissimus
Dominus, Dominus Hieronymus Tituli Sancti
Pancratij

Pancratij S. R. E. presbyter Cardinalis Mat-
thaius, tandem ad nos ex urbe remisit, cuius Il-
lustrissima & D. literas, quod ijs Synodi nostra Decre-
ta, autoritate S. Sedis Apostolica approbentur &
confirmetur, unà sub initium imprimi curauimus,
sicuti etiam ad finem adiecta sunt, qua idem Il-
lustrissimus Dominus Cardinalis, Constitutioni-
bus Synodalibus appresso Sigillo Roma subiecit.
Eadem Decreta igitur nunc Typis Nissensiis in
publicum damus, ac beneuole hortamur, moneamus,
ac mandamus serio omnibus Dioecesi subiectis no-
stra, præsertim vero qui Deo & sacris suam cōsecre-
runt vitam, ut non solum has Constitutiones dili-
genter manibus voluant & reuoluant: verum
etiam re ipsa specimen edant eiusmodi, unde appa-
reat facta & opera optima nostra & Synodi volun-
tati & Sanctionum prescripto consona esse & re-
sponda e. Quod eò magis futurum arbitramur,
cum Sanctissimi D.N. & S. Sedis Apostolica & auto-
ritas & approbatio accesserit. Optamus vos
omnes in Domino recte vivere & valere. Da-
tum ex Ciuitate nostra Nissensi die 28. Septem-
bris, Anno Millesimo Quingentesimo
Nonagesimo quinto.

Epistola

EPISTOLA

ILLVSTRISSIMI CARDINALIS

Matthæi ad Reuerendissimum D. Episcopum

VVRatislauensem de Synodi
approbatione.

PERILLVSTRI ET REVERENDIS,

simo Domino vti fratri, Domino Episcopo

VVRatislauensi, &c.




Erillustris & Reuerendissime Do-
mine vti frater. Synodum Dioce-
sanam VVRatislauensem, ab Am-
plitudine T. istic nuper habitam,
& ad Sanctissimum Dominum nostrum missam,
Illustrissimi Patres Tridentini Concilij interpre-
tes, quibus id munus à Sanctitate sua mandatum
fuit, accurate perlegerunt, & mature examina-
runt: in eaq; summam Amplitudinis T. pietati-
tem, deuotumq; in Catholicam religionem, & in
hanc sanctam sedem studium agnouerunt. Itaq;
non admodum multa necesse fuit immutare, vel
corrigere. Eam ipsam Synodum nunc ad Amplit-
udinem T. mittimus, paucis in locis aptatam,
& emendatam, sicut in eius margine descriptum
videre licebit. Nihil autem opus esse existima-

mus

mus illam cohortari ut curet tam salutaria ipsius
Synodi sic aptata, decreta à suis subditis diligenter custodiri, atq; executioni mandari: quandoquidem eam ad suum pastorale munus, graue quidem, & laboriosum, in istis præsertim locis sibi impositum, sedulo, ac sollicitè excludendum, satis per se ipsam incitatam scimus. Tantum diuinam clementiam rogamus, Amplitudini T. concedat, ut ex pio hoc labore, & egregia opera, quam in suorum subditorum salute procuranda suscepit, uberrimum fructum percipere queat. Qua in re Illustrissimi Patres, ubi opus erit, sua officia, & studia Amplitudini T. libenti animo pollicentur, & omnia prospera, & salutaria à Domino precatur. Roma die XXV. Augusti, M. D. XCIII. Amplitud. T. Per illustri & Reuerendissimæ.

Vti frater Studioſiss. Hier:
Card. Matthæus.



ORDO ET PROCESSVS Synodī Diœcesanæ.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ
ET INDIVIDVÆ TRINITATIS,
DEI PATRIS, ET FILII, ET SPI-
RITVS SANCTI. AMEN.

N tam dubia, & antcipiti
res humanæ omnes positæ
sunt conditione, vt nihil in
ijs tam perfecti reperiatur,
nihil vel legum, vel sanctionum repa-
gulis, solerti, ac prudenti legislato-
rum industria, tam munitum; quin lu-
brica, ac præcipiti, malorumq; pluri-
morum instigatrice, & effectrice cupi-
ditate, nouisq; artibus, aut callidè mul-
ta eludantur, aut malitiosè peruertan-
tur. Quo circa omnibus ijs, qui ad ali-
quod primariæ dignitatis fastigium
euecti sunt: perpetua quædam incum-
bit necessitas, ne vnquam securitati,

A

aut

aut legum confisi constantia, somno,
lentos, parumq; perspicaces gubernati-
oni afferant oculos; sed eorum aciem
hinc inde magna cum vigilantia cir-
cumferant, ut exigente v̄su, & succres-
cente malitia, quo quis tempore nouis
legibus condendis, antiquis verò re-
staurandis, atque ad vsum reuocandis,
si communi consulendum saluti sit, per-
petuo excubias agant. Quod cuius-
cunq; ordinis, excellentissimos sem-
per Magistratus fæliciter cæpisse, &
magno cum successu Imperia, Re-
gna, ditionesq; stabilijsse, & in exopta-
ta tranquillitate, & harmonia conser-
uasse, historiarum tam sacrarum, quam
profanarū Codices, illustribus exem-
plis passim referunt & testantur.

Hunc præclarum imitatus morem
Reuerendissimus & Illustrissimus in
Christo pater, ac Dominus, Dominus

AN-

ANDREAS, Dei, & Apostolicæ
sedis gratia Episcopus Wratislauien-
sis, Coronæ Bohemiæ Princeps ligius,
Sacré Cæsareæ Maiestatis consilia-
rius, & supremus superioris & infe-
rioris Silesiæ Capitaneus, cum magno
animi dolore videret, & reipsa expe-
riretur, labacente prisca pietate, &
Catholicæ Religionis disciplina cor-
ruente, hisce temporibus Ecclesiæ
membra suæ Dioecesis utili aliquà cor-
rectione, & reformatione omnino in-
digere; nihil quicquam ab ipso statim
initio accepti Episcopatus, sibi præ-
clarior, aut optabilius iudicauit, quam
ut sicuti in politica gubernatione, ita
in Ecclesiastico munere, quoad eius
fieri possit, omnia pristinæ integritati
restitueret, & agrum Domini à senti-
bus & zyzanijs emundaret. Itaq; ac-
curata, & diligent cum Venerabili

Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Wra-
tislauiensis deliberatione suscepta, pu-
blica citatione ad valuas ecclesiæ Ca-
thedralis sancti Ioannis Wratislaviæ,
& alibi etiam in Collegiatis, & prima-
rijs Ecclesijs parochialibus affixa,
vocatis omnibus, & singulis legitime,
qui de iure, vel consuetudine fuerant
vocandi, synodum Dioecesanam Wra-
tislaviæ celebrandam indixit: ut Deo
annuente communī consilio proposi-
tum suum exequi inciperet, & quæ ab
antiquo sancte, & salutariter consti-
tuta quidem; fragilitate tamen, & per-
uersitate humana neglecta, & corru-
pta fuerunt, oportunis remedij, no-
uisque, si opus esset, constitutionibus
in pristinum statum, & integritatem
reuocaret.

Die Synodi adueniente, Reueren-
dissima Celsitudo sua, in profecto San-
cti

Et Michaelis , mature Wratislauis m
venit, & seposita omnium politicorum
negociorum cura , quæ ad Synodi ce-
lebrationem secundum prædecesso-
rum Episcoporum Wratislauiensi-
um morem , usui & commodo essent , in
ordinē redegit . Promotorem synodi
Dominum Paulum Albertum , S. Theo-
logiæ Doctorem , Scholasticum : Bona-
uenturam Han, l. V. Doctorem , Deca-
num Sanctæ crucis , Secretarium :
Lectorem verò , Dominum Conra-
dum Waibelium , S. Theologiæ
Doctorem , Vicarium in spiritualibus ,
ac officialem generalem , omnes cathe-
dralis ecclesiæ Wratislauiensis , Præ-
latos , & Canonicos constituit : Duo
præterea notarij publici , qui Synodi
acta diligenter annotarent , fuerunt
requisiti , Dominus Adamus Kesselius
Ecclesiæ Collegiatæ sanctæ Crucis

Canonicus, & Daniel Zvvick vtriusq;
Capituli Wratislauiensis notarius
juratus. Priusquam de articulis Reli-
gionem, cultum diuinum, mores cleri-
corum, & temporalia concernentibus,
consultatio institueretur: Reuerendis-
simus Dominus Episcopus singulari-
in Religionem Catholicam Zelo, &
cura, vero animarum pastore digna, à
precibus initium fieri debere censuit;
ob id supplicationes, seu litanias tri-
bus diebus ante Synodum decantari,
& ieunia pro fausta, & felici conti-
nuatione Synodi, deuotè peragi ius-
sit, ipseq; Episcopus auditio prius ma-
gna deuotione S.S. missæ officio, insti-
tutæ ex cathedrali S.Iohannis Ecclesia
in Collegiatam S. Crucis proces-
sioni, subsequentibus Prælatis, & Ca-
nonicis, ac Aulica Suæ Reuerendis-
simæ Celsitudinis, familia interfuit.

Colle

Collegiata Ecclesia sanctæ Crucis, si-
militer processionem pari cum devo-
tione in Cathedralem Ecclesiam ab-
soluit. Ipsiæ inductionis Synodi die,
ante hora quinta , & sexta , campana
maiori , ad synodum duabus vicibus
signum datum est : vltimo vero , & ter-
tio impulsu circa horam septimam da-
to , Reuerendissimus Dominus Epi-
scopus comitantibus eum Reuerendis-
simo Domino Adamo Episcopo Ni-
copoliense Abbatे in arena , & suffra-
ganeo Wratislauien : D D. Præla-
tis , & Canonicis Ecclesiæ Wratisla-
uiensis , atq; septem Abbatibus , alioq;
clero subsecente , Ecclesiam Cathe-
dralem Wratislauensem Diui Ioan-
nis ingressus est , & cum preces Domi-
no Deo flexis genibus , peculiari sca-
bello ad inferiorem gradum ad hoc
disposito , obtulisset , Chorus incepit
hymnum

hymnum, *Ven: sancte Spiritus*: quo finito Reuerendissimus D. Episcopus Versum, *Emitte Spiritum tuum*, vnà cum oratione, *Deus qui corda fidelium* &c. Choro debite correspondente, devote decantauit. Postmodum recedente Reuerendissimo Domino Episcopo in sacristiam, Promotor synodi, per Venerabilis capituli Notarium omnes ad synodum spectantes, ex scheda ordine conscripta euocauit, atq; cuilibet locum suum assignauit, in stallo videlicet dextro, versus altare, prope stallum, aut sedem Reuerendissimi Domini Episcopi, primo loco Reuerendissimum Dominum Suffraganeum, infula, & stola ornatum, ad latutus demissiore tamen loco, cum pedo Episcopali, facellano assistente. Deinde Dominos; Ioannem Sitsch Præpositum, Adamum Landeck Decanum, Christo-

Christophorum Gerstmannum Cu-
stodem , Andream Bogursky I. V.
Doctorem, Vincentium Salinum, Ma-
gistrum Balthasarem Habicht, Bona-
uenturam Han I. V. Doctorem, Geor-
gium Scholtz S. T. Doctorem, & Ma-
gistrum Gasparum Hiltprandum, Præ-
latos, & canonicos Ecclesiæ Cathedra-
lis Wratislauien: Adamum Kesselium
Ecclesiæ Collegiatæ S. Crucis Cano-
nicum, præterea concionatorem, & Pœ-
nitentiarium Ecclesiæ Cathedralis.
Item Magistri Hospitalis S. Matthiæ
ablegatum, & Andream Rosnecium
Præpositum Falckenbergensem, collo-
cauit, sinistri verò lateris sedes, Domi-
ni Abbates, sine infulis tamen occupa-
runt, videlicet D. Hieronimus Luben-
sis, D. Ioannes Sancti Vincentij Wra-
tislauiæ , Iacobus Saganensis, Domi-
nus Nicolaus Heinrichouiensis , D.

B Antonius

Antonius Camenicensis, D. Gasparus
Grissoviens: D. Georgius Lemelnicen-
sis, & Laurentius Girlicius ablegatus
Abbatis Raudensis. Nomine capitu-
li Ecclesiae Glogouiae maioris, Geor-
gius Sculteti Præpositus, Martinus
Lemhusius Decanus, & Gasparus Sel-
lius Archidiaconus. Nomine Capitu-
li Nissenensis, Nicolaus Tinczman Me-
dicinæ Doctor. Nomine Capituli O-
poliensis, Iacobus Zuretius Decanus,
Ioannes Kuna Archidiaconus, Ican-
nes Zwick Custos. Nomine Capituli
Rathiboriensis, Petrus Sebisch Deca-
nus, & Sebastianus Tiešovský Cu-
stos. Nomine Capituli Glogouiae su-
perioris, Albertus Petricius Deca-
nus, Matthæus Adam Præpositus cru-
ciferorum Nissæ valetudine aduersa
impeditus absfuit. Infra Abbates iplo-
rum Sacellani ordine stabant, baculos
manibus sustinentes. Commendato-
res

res Lignicensis , Scvvidnicensis , &
Cruezbergensis , excusatione absen-
tiæ vñi sunt. Ex præcentoribus adfue-
runt Chori minoris Cathedralis Ec-
clesiæ , & minoris Chori Collegiatæ
Ecclesiæ Sanctæ Crucis , & in Crypta;
Postea Archipresbyteri , Parrochi , &
alij Sacerdotes ab vtraq; parte fuerunt
locati. Cum suo iam quisque loco con-
sedisset , Reuerendissimus Dominus
Episcopus , pallio , mitra , alijsq; Pontifi-
calibus amictus solita cum ceremonia ,
& sacrorum ministris Ecclesiasticis
viris stipatus ex sacristia , ad altare pro-
cessit : vbi Ialdistorio inclinatus in-
cepit Antiphonam : *Exaud: nos : respon-*
dentibus duobus Canonicis Wratis-
lauiensibus Dominis , Doctore Nico-
lao Tinczmanno , & Magistro Gaspa-
ro Hiltprando Regentibus , Domine:
reliquum Chorus . QVONIAM & SAL-
VRM: cum clero absoluit . Post ExAUDI:

Reuerendissimus Dominus Episco-
pus orationem, OMNIPOTENS SEMPER
TERRNE DEVS: Ex Pontificali Roma-
no recitauit. Qua oratione finita Re-
uerendissimo ministrantes Vicarij duo
flexis genibus Litaniam KIKE ELEY-
SON inceperunt, toto choro correspon-
dente, vsq; ad versum: Ut hanc praesentem
Synodum visitare, disponere, & benedicere digneris,
quem versum ter Dominus Episcopus
facta cruce repetijt, Choro correspon-
dente: TE ROGAMVS AVDI NOS. Deinde
Vicarij pro sequebantur litaniam vsq;
ad finem. Tandem Reuerendissimo inci-
piente, O REMVS: Duo Vicarij simul re-
spondebant: FLECTAMVS GENVA, &
LEVATE. Absoluit Reuerendissimus
orationem ex Pontificali Romano, de-
positoq; pluuiali accipiebat casulam a
duobus Canonicis, & incipiebat mis-
sam solemnem de sancto, spiritu, more
Romano.

Rōmano: Ad A C N V S D E I: Domini
Canonici ministrantes, Reuerendissi-
mo pacēm dederunt, vnuſ suffraganeo,
alter Lubensi Abbat. Absoluto S. S.
Missæ officio, Reuerendissimus dedit
benedictionem, quam circa, P A X D o-
mīnī, Iuxta Pontificale Wratislauien-
se omisit. Porro in sacristia Pontifica-
lē ornatum exuit Reuerendissimus
Episcopus, & sedem præparatam ac-
cessit, ibique confidens, Dominum Do-
ctorem Georgium Scultetum Cano-
nicum, de Synodo prudenter, & docte
perorantem, & integrè absoluente
audiuit. De cathedra autem aut sug-
gestu descendente Sculteto, Reueren-
dissimus per Promotorem proposuit:
suam Reuerendissimam, & Illustrissi-
mam Celsitudinem desiderare: quò om-
nes ad Synodum spectantes, cum sua
Reuerendissima Celsitudine in Curi-

am Episcopalem se conferrent, vt Sy-
nodus iusto ordine, & legitimo modo
inciperetur. Omnes itaq; & singuli
clericis cuiuscunq; status, ac dignitatis:
Aulicis Reuerendissimi D. Episcopi
præcedentibus, & tandem solo Promo-
tore cappa, & Almutio induito præeun-
te, Reuerendissimum Dominum Epi-
scopum in hypocaustum Curiæ suæ
subsequabantur, Prelatis, & Canoni-
cis solis habitum rubeum deferenti-
bus, alijs enim cappas, & superpellicea
sua deposuerant. In eodem Hypocau-
sto Reuerendissimus Dominus Epi-
scopus solus ad mensam decenter or-
natam, illiq; imagine crucifixi apposi-
tæ, consedit, Rocketo, & cappa Rubea,
& mucetto rubro indutus. Et latus
quidem vnum Prelati, & Canonici
Ecclesiæ Cathedralis, alterum vero
Domini Abbates occupabant, reli-
quis

quis suo ordine , vt in Ecclesia conse-
derant , medium diligentibus hypo-
causti locum. Cumq; omnes intentos
oculos , & mentem haberent : à Regij
Vatis dicto initium sumens Reueren-
dissimus Dominus Episcopus, *Eccē*
Q̄RAM BONVM, ET Q̄RAM IVCVN-
DVM, SIT, HABITARE FRATRES IN
VNVM: piām & grauem exortus est ad
clerum orationem, iamque ab initio sta-
tim accepti Episcopatus totam inge-
nij vim , & mentis aciem eo intendisse
ariebat , eiusmodi vt reperiret medici-
nam , quæ cleri disciplinæ exvscitan-
dæ , & restaurandæ conducere videre-
tur. Quam ad rem cum clerum conuo-
cari necesse esset, omnino : se quidem
diutius id in animo habuisse , vt Syno-
dus celebraretur diœcesana : Verum
multa, longe necessarium, & honestum
propositum impediuisse. Principio
quidem

quidem pestem hinc inde miserabili
multorum strage grassantem: quam
paulo post gemina Regum Poloniæ
electio, tumultusq; bellici in hac Pro-
uincia, & Regno Poloniæ subsecuti es-
sent. Pace tandem cum eodem Regno
Poloniæ conclusa, difficile legationis
munus à sacra Cæsarea Maiestate Do-
mino nostro clementissimo, ad Serenif-
simum Poloniæ Regem, & Regni or-
dines, sibi fuisse demandatum, ad certò
confirmandas iuramento pacis condi-
tiones, non multo post iterum ad Re-
gni Poloniæ fines se missum ad Sere-
nissimum Sacræ Cæs. Maiestatis fra-
trem Maximilianum reducendum. A
publicis itaq; negocijs vbi paulum
nancisci ocij, & veluti respirare licu-
erit, nihil se reliqui fecisse, vt aliquan-
do tandem inductione Synodi, & con-
uentu tam præstantium Ecclesiastici
ordinis

ordinis virorum voti sui, & expecta-
tionis optatæ composredderetur.
Quem felicem, & diu desideratum di-
em, cum hodie intueatur, Venerandum
etiam laudabili numero aspiciat Cle-
rum, plurimum se latari, & sibi ex ani-
mo gratulari dicebat, atque pluribus
demonstrabat, non tantum bonum, &
iucundum esse fratres habitare, sed in
vnum etiam couenire: Exemplo id
Apostolorum fieri, qui suborta diffi-
cilitate aliqua, & exigente nascentis
Ecclesiæ usu, convenerint; quemad-
modum historia de circumcisione Iu-
dæorum tollenda, & apud Christi se-
ctatores abroganda luculenter conte-
stetur, vbi re examinata Apostoli his
concluserunt verbis. *VISVM EST SPIRI-*
TVI SANCTO ET NOBIS. Hinc à successori-
bus Apostolorum generalia Concilia:
ab inferioribus vero prouinciales &

C diœce=

diœcesanas Synodos fuisse celebratas:
Sicut etiam in Politica gubernatione,
& in Imperijs, Regnis, ac ditionibus
ritè ad normam & iustæ lancis æquita-
tem constituendis, regendoque dignis-
legum repagulis populo, ab Imperato-
re Comitia, à Regibus, & Principibus
Diætæ, & conuentus, poscente vſu in-
dicantur. Ob similes causas, & Eccle-
siæ vtilitatem se omnes, qui Synodo in-
teresse tenentur, conuocasse, vt saluta-
ria omnium consilia coram audiret, de-
ijs præcipue rebus, de quibus in hac
Synodo agere constituisset, quæ po-
tissimum quatuor capitibus essent com-
præhensa.

Primo, quomodo Religio Catholi-
ca aduersariorum varijs artibus & ma-
chinationibus collapsa restaurari, &
S.S. Concilij Tridentini decretiscon-
stans authoritas, ita quidem vt ibidem

à Patribus sanctè constituta , in posterum in hac diœcesi obseruantur , conciliari , & stabiliri possit .

Secundo , cultus diuinus , qua ratione rectè ac decenter peragi debeat .

Tertio , corrupti Clericorum mores quomodo reformandi .

Quarto , in temporalibus quid commodo Ecclesiarum statui debeat , tum Clericorum certi redditus , quibus modis conseruandi , incerti verò ac dubijs , ad certitudinem quantum fieri liceret , reducendi , & stabiendi .

Atq; ità , si communicatis prudenti circumspectione & examine accurato , tot sapientum consilijs , ac habito inde iusto delectu , de hisce sanctiones conscriberentur , & ab earum obseruatione in posterum non discederetur ; cēsūt Reuerendissimus D. Episcopus nihil aliud , quam optimum successum

certo, expectandum esse, idq; præter alias, in sacris Biblijs historias, Iosuæ testari exemplum, cum diuinæ memor legis, Iudaicum populum, ne DEOS colerent alienos, hortaretur &c.

Quibus sic propositis, Reuerendissimus per lectorem decretum demodo vivendi, & alijs in Concilio servandis sessione secunda Concilij Tridentini, legi curauit; idque præcipue propter sessionem Clericorum, quod nulli propterea præiudicium generetur, nulli q; nouum ius acquiratur; quod tota Synodus per verbum P.L.A.C.E.T, approbavit. Quæsiuit dehinc Synodi Promotor vtrum omnes, qui de iure, vel consuetudine Synodo interesse deberent, præsentes essent, monuitq; ut absentium procuratores, aut ablegati absentia certam redderent rationem. Omnibus ex scheda per Notarium euocatis,

catis, præsentes vocati, honorifice assur-
gebant: postmodum oblatæ fuerūt lite-
ræ Michaëlis Waltheri Abbatis Rau-
densis, qui in infirmitatis excusatione v=
sus, loco suo Laurentium Girlicium
Sacellatum ablegauerat: à Magistro
Hospitalis Sancti Matthiæ Wratisla-
uiæ per fratrem Ioannem Prussium
idem factum: similiter & à Zaren sis di-
strictus Archipresbytero, qui nomine
suo ut Synodo interesset, Antonium
Parochum Tostensem Wratislauiam
misit: Pauci (incertum quæ de causa)
sine villa excusatione emanserunt: ij si
ex inobedientia, & contumaci negle-
ctu, aut sine iusta causa alia id fecisse
deprehenderetur, in eos animaduerte-
re Episcopus constituit, & Clero per
Promotorem mandauit, ne aliquis ante
finitam Synodum nisi speciali suæ Re-
uerendissimæ Celsitudinis licentia,
Wratislauia discedat.

Et

Et cum fides sit fundamēntum salu-
tis æternæ, Reuerendissimus D. Epi-
scopus S.S. Oecumenici Concilij Tri-
dentini pium institutum , tum etiam
Prouincialis Petricouiensis, & à præ-
decessore suo Episcopo Martino piæ
mem : celebratæ Synodi Diœcesanæ
consuetudinem, obseruare volens , fle-
xis genibus, tactis S.S. DEI Euau-
gelijs Professionem fidei prius solus,
& consequēter totus Clerus simul, præ-
legente Synodi lectore , eandem pro-
fessionem, iuxta Pij iij. fel:re:præscri-
ptum, fecit. Exhibebant deinde, requi-
rente hoc Reuerendissimo D. Epi-
scopo, DD. Archidiaconi suas visita-
tiones : D. Iulius Landus Archidia-
conus Wratislauiensis , propter mor-
bum, quo domi detinebatur , per D.
Doctorem Georgium Scultetum Ca-
nonicum Wratislauensem visitatio-
nem

nem suam obtulit: subsecutus est D.
Adam Landeck Legnicensis, hinc
Casparus Sella Glogouiensis, & Io-
annes Kuna Oppoliensis Archidiaco-
ni, suas quisque Reuerendissimo Do-
mino Episcopo obtulit visitationes.
Iis Reuerendissimus Dominus Epi-
scopus ob hanc diligentiam gratias
egit, hortatusq; est eosdem, vt parem
in posterum pro ipsorum munere ad-
hibere non prætermittant. Exhibitæ
quoque fuerunt variæ Parochorum
querelæ, quæ cum in magnum exeresce-
rent numerum, Reuerendissimus Do-
minus Episcopus, tribus ex DD. Ca-
nonicis Cathedralis Ecclesiae Wratis-
lauiensis, D. Nicolao Tinczmanno,
D. Bonaventuræ Han, & D. Conrado
Waibelio id dedit negotij, vt supplices
libellos, & querelas reuiderent, & suæ
Reuerendissimæ Celsitudini refer-
rent

rent, quo Cleri querelis tempestiuè, &
cum fructu succurreretur.

Conscripterat Reuerendissimus
D. Episcopus ante Synodic congrega-
tionē cōstitutiones, vel articulos quos-
dam, qui ad institutum Ecclesiasticum,
& ad conseruandam & augendam Ca-
tholicam religionem necessarij erant
visi. Ex ijs quæ fidem & Religionem
Catholicam concernerent legi cura-
uit: post, omnium consilia audire cu-
piens, primo Prælatorum & Canonis-
corum Ecclesiæ Cathedralis, quid de
his videretur, sententiam rogauit: qui
omnes constitutiones utiliter promul-
gari posse ynanimi consensu iudica-
bant. DD. Abbates verò semel, atque
iterum seorsim deliberandi, & consul-
tandi quoddam spatum sibi petebant
concedi. Quam rem nouam, nec ante
prioribus in Synodis vſitatam, cum
Reue-

Reuerendissimus D. Episcopus arbitraretur; eosque moneret, ut quilibet in libero dicendi, & consultandi loco, liberè suam sententiam proferret: Tunc DD. Abbates Reuerendissimi Domini Episcopi se submittentes voluntati, per D. Abbatem Vincentium, virum doctrina, & rerum usu amplissimum, egerunt gratias Episcopo, pro paterna ista cura, quam in conscribendis & proponendis illis articulis, & constitutionibus de Religione, Sua Celsitudo habuisset; videre ipsos in lectis articulis, præter reliqua Reuerendissimum Dominum Episcopum ex præscripto Concilij Tridentini urgeare, vt DD. Abbates iuxta eiusdem Concilij decreta, Magistrum in suis quisq; monasterijs alerent, qui nouiter receptos ordinis fratres, pietatis & bonarum artium fundamenta fideliter doceret.

D

ceret.

ceret. Id DD. Abbatibus hucusq;
summæ curæ fuisse, quemadmodum qui
Wratislauiaꝝ sua haberent monasteria,
nunquam vtile hoc institutum præter-
misissent. Et licet etiamnum domi Præ-
ceptoribus non destituerentur, se ta-
men vberioris disciplinæ gratia, ali-
quos in Seminarium Episcopale Nis-
sam mittere velle. Omnia itaq; decreta
maturo cōsilio à Reuerendissimo Dñ:
Episcopo cōscripta, & iam lecta ipsos
Dominos Abbates approbare, vnicū
solummodo caput, quo ius instituendi
seu inuestiendi Parochos, Reuerendis-
simo Domino Episcopo reseruaretur,
in ipsorum Abbatum præiudicium po-
situm videri; eos hucusq; à longo tem-
pore viros pios, & doctos, Parochijs
præfecisse, sine aliqua Domini Episco-
pi institutione, & quandoquidem in
tanto Clericorum defectu seculares Sa-
cerdotes

cerdotes habere non potuerint, se fra-
tribus interdum monasteriorum Pa-
rochias regendas commisisse, eamq;
possessionem ipsos ex longa consuetu-
dine obtinuisse, rogare itaq; DD. Ab-
bates, vt Reuerendissimus D. Episco-
pus ius illud instituendi Parochos, si-
cut hucusq; ab ipsis obseruatum esset,
integrum Abbatibus relinquere velit.
Deinde quando visitationes Parocho-
rum in monasteriorum fundis per Do-
minos Archidiaconos in posterum in-
stituerentur, vt Dominis Abbatibus
visitationibus huiusmodi interesse lice-
ret. Ad ea Reuerendissimus D. Epi-
scopus respondit, se nihil noui consti-
tuere, sed ex Concilij Tridentini de-
cretis (sicut ex eodem Concilio sess: 14.
cap. 10. & sess: 25. cap. 9. de reforma-
tione fuerunt lecta) nihil aliud optare,
quam vt sit Hierarchia bene ordinata,

nihil quicquam in præiudicium DD.
Abbatum fieri neq; eos iuris alicuius
facere hac in parte iacturam, quinimo
liberum permanere DD. Abbatibus
præsentationis ius, si quod haberent:
non iniquum vicissim esse, vt Episco-
po Lociordinaria auctoritas salua con-
seruetur eiq; inuestiendi ius integrum
permaneat & relinquatur. (Videndæ
sunt hac de re sacræ congregationis
notæ infra titulo de Parochis) Ponti-
fices enim maximos suas Bullas colla-
tione & prouisionum, Sacratissimos
Cæsares, Serenissimos Poloniæ Re-
ges (vt de alijs nihil dicatur) præsen-
tationes Episcopo mittere ac misse:
multo magis ergo Abbates id decere,
vt Episcopo Inuestiendos præsentent,
ne ordo Hierarchicus quoquis modo
turbetur. Et quamvis DD. Abbates
affirmarent non semper expedire, vt
præsen-

präsentationes esset perpetuæ, propter Religiosos fratres, quibus interdum Parochiæ cōferuntur & ad monasteria reuocantur, vt existimant maius etiam commodū monasterijs hac ratione accedere atq; ideo denuo ipsos rogare, sui vt ratio habeatur, & priuilegia confirmantur ipsorum, quibus à tam longo tempore integrum fuisset ius inuestiendi. Tamen Reuerendissimus Dominus Episcopus à S.S. Concilij Tridentini Decretis recedere, se nec velle, nec posse respondit. Quandoquidem præterea in constitutionibus prælectis, secularibus Clericis liberam testandi facultatem concessam esse intellecterant DD. Abbates, si religiosi in Parochijs è viuis excederent, ad quem relicta pertinerent interrogabant: Reuerendissimus Dominus Episcopus ad hæc: Monasterio inquit

“ fratribus res de relictas accrescere, cum
“ testamenti ob paupertatis votum non
“ habeant factionem : Si vero seculares
Clerici in Parochijs non condito te-
stamento decederent ; statuta prouin-
cialia & Synodalia iuxta praxim quo-
tidianam obseruanda esse, vt scilicet
post sumptus funebres debita exsol-
uantur : deinde consanguineis aliqua
hæreditatis pars ; fabricæ item & Ec-
clesiæ in quo intestatus obiit, vel Pa-
rochiæ portio quædam relinquatur.
Post acclamationem PLACET, Re-
uerendissimus Dominus Episcopus
proponebat, magnam esse penuriam
Catholicorum seruitorum, quorum o-
pera Domini Abbates, & Abbatissæ in
Præfecturis, & alijs officijs vterentur.
Cogitasse itaq; se, non conuenientius
huic malo remedium reperiri, nisi vt
certus Nobilium puerorum numerus,
scilicet

scilicet viginti quatuor, honestè ale-
rentur, qui in fide, moribus, & discipli-
nis, Catholicè instructi, suo tempore
tum alijs, tum eiusmodi officijs præfice-
rentur: in quēm finem ædes Nissæ iam
emisset, saltem à Clero consilium se re-
quirere, vtrum magis conferat sum-
ptus facere in nobiles, vel plebeios:
Venerabili Capitulo Cathedralis Ec-
clesiæ placuit Reuerendissimi Domi-
ni institutum, vt nobiles præcipue si
haberi possint in eum finem alantur:
cum in Episcopale Seminarium non
nisi iuuenes, qui in Ecclesiastico statu
D E O & Ecclesijs suo tempore inser-
uiant recipiantur.

Domini Abbates hoc vnum se do-
lere dicebant, quod non habere pos-
sent Catholicos: esse in Aulis Princi-
pum magis gratos homines nobiles,
quam plebeios. Rogabant itaq; Do-
minum

minum Episcopum, vt nobiles conuenientis ætatis reciperet, ipsos suam operam offerre. Abbatem enim Sancti Vincentij in eum finem quatuor hucus usq; aluisse, vt ipsorum opera aliquando vteretur. Reuerendissimus Dominus Episcopus respondit: non minores XVIII. annis recipi in Seminarij clericorum: in receptione nobilium se obseruaturum, vt XIII. sint annorum, qui si aliquot annis pietati, ac studijs operam dent, futurum, vt vel circa XX. ætatis annum commodè servitijs Principum, & Abbatum adhiberi queant. Porro Clericorum Seminarij Episcopalis sumptum annum Reuerendissimus Dominus Episcopus tribus millibus florenorum æstimabat, imò eundem etiam superari numerum, & quatuor millia non raro excedere, expositorum consignationes, & Rege-

sta testari. Quandoquidem verò diffi-
cile sibi esset, in utroq; Seminario, Cle-
ricorum scilicet, & nobilium seculari-
um, sarta tecta omnia conseruare, tot
scholares clericos, & laicos cum ipso-
rum Doctoribus, Magistris, Præce-
ptoribus, & seruitoribus alere : petere
se vigore constitutionis Concilij Tri-
dentini sess: XXIII. Cap: XVIII. de
reformatione, vt Prælati, & Canonici
præcipue, ac totus Clerus, ad Semina-
rium Clericorum contribuere velint,
Cathedralis Ecclesiae Wratislauiensis
Capitulum, Prælatorum & Canonico-
rum decumbentium absentiam inpri-
mis allegabat ; rogans vt Reuerendissi-
mus tantum concederet spatij, donec
cum alijs Confratribus, hac de re con-
siliū capere possit : tamen cum Reue-
rendissimus responsum à venerabili
Capitulo vrgeret, Capitulum asseue-
rabat.

E

rabat. Reuerendissimi Domini Epi-
scopi prouentus, Capitulares redditus
longè superare, decimis vbiq; colla-
psis, & in fertones Episcopales com-
mutatis, rogare se, quandoquidem Ve-
nerabili Capitulo prouentus tertiae
partis Episcopatus competant, vt Re-
uerendissimus retentis duabus parti-
bus, tertiam Veñ: Capitulo iuxta
Conci: Tridentini assignet: inde ad
Seminarij conseruationem partem ad-
iici posse. Reuerendissimus Episco-
pus Venerabilis Capituli responsum
non satis æquo animo ferre visus est,
existimauitque merito se aliud respon-
sum expectare debuisse. Nam quod de
tertia parte prouentuum Episcopa-
tus, seu mensæ Episcopalis Capitulo
assignanda dictum sit, illud sine ullo
fundamento prolatum esse. Capitu-
lum enim proprias haberè villas, syl-
vas,

uas, & alia bona diuisa, & distincta à
bonis, quæ ad mensam Episcopalem
pertinerent: de prouentibus, & bonis
mensæ Episcopalis ne teruncium qui-
dem competere Capitulo, neq; Conci-
lium Tridentinū quicquam de hac re
cōstituisse. Quod vero de collapsis deci-
mis dictum sit, illud quidem non nega-
ri, sed Episcopi quoq; decimas, quæ
amplissimæ fuerint, ad eundem modum
sicuti Capituli collapsas esse. Recor-
dari se inter alia statuta Ecclesiæ Ca-
thedralis vnum extare, quo Episcopus
ad certa quædam onera sit obligatus,
ad simplum Capituli, contribuere du-
plum: æquum igitur, vt ad Seminari-
um etiā ad duplum Episcopi, Capitu-
lum contribuat simplum. Quod si illis
graue hoc videretur, ac existimaret æ-
quam non seruari proportionem peti
Reuerendissimus vt quilibet Præla-

tus; & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ de suis prouentibus contribuat decimam, vigesimam vel trigesimam, vel quinquagesimam partem, scilicet ad eundem modum paratum esse, de prouentibus mensæ Episcopalis decimam, vigesimam &c. contribuere, & hunc modum esse longè iustissimum, ut quo plures quis habeat redditus, eo plus etiam conferat. Venerabile Capitulum temporis deliberandi in alterum diem petit, & impetravit. DD. Abbatibus placuit institutum Reuerendissimi operamq; suam non denegarunt sperantes, si quid contribuerint, Reuerendissimum Dominum Episcopum contentum fore, vt in Clericorum Seminario Nissenii suos alumnos alant, quorum opera uti possint. Capitulum Glögoviæ maioris de collapsa religione, & censum imminutione conquesum est, atque

atque hinc fieri, ut vnde commodè vi-
uant, vix suppetat: Scholæ Rectores,
& Professores, stipendio ccmmodo de-
stitui, Ecclesiam etiam ipsam mutam
quodammodo manere: excusari itaq;
fese petierunt in ihs, quæ dē contribu-
tione proposita essent. Capitulum Ni-
sense, & Oppoliense certum responsum
ad ulteriore cum fratribus absenti-
bus consultationem reiecit: Capitu-
lum Rathiboriense, & Glogouiæ Su-
perioris summam allegarunt pauper-
tatem, quam excusationem vt certam
Reuerendissimus Dominus Episco-
pus non grauatim admisit. Præpositus
Rosenbergensis se ex Prælati sui Do-
mini Abbatis in arena voluntate de-
pendere ait. Vedit Reuerendissimus
Dominus Episcopus pro Seminario
Clericorū inanem cōtributionis spem
esse; nihilominus se à pio proposito

suo, in alendis Clericis, & pueris nobilibus, desistere nolle asseuerauit. Et quia maior diei pars rerum tractatione consumpta esset; dimisit Clerum Reuerendissimus Dominus Episcopus: Abbates verò apud se in prandio retinuit. Commisit autem Reuerendissimus, DD. Archidiaconis, vt suis Archipresbyteris demandarent, quo absentes Sacerdotes, qui Synodo huic non interfuerint, suo tempore conuocarent, atque ab ijs professionem fidei exigerent. Synodi etiam promotor, innuente Reuerendissimo Domino Episcopo iussit, vt sequenti die, hora septima ad sonum campanæ maioris, totus Clerus ad sacrū Missæ officium, & tandem in Curiam ad Synodum vicissim reueterentur.

Secunda die Synodi, mane vicissim campanæ impulsu signum dabatur;

sub

Sub tertium pulsum eodem ordine, quo
præcedente die, eodemque Prælato-
rum, Canonicorum, & Abbatum toti-
usq; Cleri Comitatu, in Cathedralem
Ecclesiam ingressus Episcopus, sa-
crum missæ officium de Beata Maria
Virgine, quod à Reuerendissimo D.
Adamo Episcopo Nicopoliense, &
suffraganeo Wratislaviense celebraba-
tur, deuotè audiuit, ac in Curiam re-
uersus, vt ceptam Synodi tractatio-
nem continuaret, per Promotorem di-
uersa Capita de cultu diuino rite pera-
gendo, vt de illis deliberaretur propo-
ni iussit: & cum ad caput de cantilenis
in Ecclesia ante concionem decantan-
dis, peruentum esset, placuit Synodo,
idq; deuotioni plebis plurimum con-
ferre quidem censuit, vt omnibus uni-
uersim Ecclesijs cantiones eiusmodi
concederentur, euitandæ autem confu-
sionis,

ſionis, & disparitatis cauſa, oportunum
eſſe ad vnam certitudinem redigi can-
tilenas, in quibus, vt certitudini, &
conformitati deuotio coniungeretur,
Reuerendissimus Dominus Episco-
pus, curam eandem, Dominis, Doctori
Andrea Bogursky, præterea Con-
cionatori, & Pœnitentiario maioris
Ecclesiæ commisit, qui utroque &
Germanico, & Polonico idiomate
cantiones probatas, & pietati inſer-
uientes colligerent, & Episcopo affer-
rent, illi tum curæ fore, vt in uſum mul-
torum Typis Nissensibus excusæ in
publicum prodirent. Baptizandi ri-
tum quod attineret, DD. Abbates
grauibus, & vrgentibus de cauſis, ac
rationibus consultum existimabant, in
Sacramento Baptismi, Ioannis leuſen-
tritij Episcopatus Misnensis Admini-
ſtroris, viri in Catholica religione
iuuanda

iuvanda probatissimi. Germanica ba-
ptizandi forma, magis quam Latina
hactenus consueta vtendū esse. Quam
difficultatem D:Reuerendissimus ex-
emit, cum diceret, formam baptizan-
di potius secundum Agendam Metro-
politanæ Ecclesiæ Gnesensis ubiq
seruandam, quam noui aliquid statuen-
dum esse: non displicere tamen; quin-
imo hortari ac monere, vt paulatim, &
adhibita in consilium prudentia, à Pa-
rochis Germanico, aut etiam ubi eius
linguæ vsus sit Polonico sermone, po-
pulo ceremoniæ oportunis verbis ex-
placentur: Ita enim futurum, vt modus
germanicè baptizandi, in ijs locis ubi
partim à parochianis desideraretur,
partim in quibusdam locis nunc in usu
esset pedetentim diligentia Parocho-
rum tolli posset.

De Breuiario Wratislaviensi cuius

F

exempla

exempla desiderarunt, Reuerendissimo Domino Episcopo, approbatē Synodo placuit, vsum Romani Breuiarij esse introducendum, non vt Wratislauense tollatur, sed vt propter defectū Wratislauensis Breuiarij, recens ordinandi ad recitationem Breuiarij Romani assuefiant.

Placuerunt etiam Synodo articuli de cultu diuino omnes: Ad reformationem Clericorum condescendendum erat, eius à capite initium sumendum iudicabat æquum Reuerendissimus Dominus Episcopus, ac hortabatur vt liberè, & confidenter omnes, & singuli publicè indicarent: si quid in sua Reuerendissima celsitudine emanatione dignum animaduerteretur.

Cum autem tota Synodus vno ore profiteretur, omnia, quæ hac lenus gesta essent, Episcopali officio, ac muneri conuenientissima, & cum pietate coniuncta

iuncta fuisse: preces adiūciebant, vt
quemadmodum sāctè cepisset, progre-
deretur, mercedemq; à Deo optimo
Maximo expectaret. Capita deinde
de moribus Clericorum approbârunt,
præcipuè verò ea constitutio, ne Cle- //
rici pro alijs in causis pecuniarijs fide //
iuberent, DD. Abbatibus plurimum //
placuit, se vnicum hoc optare, vt à fide
iussionibus liberentur.

Cum autem ex Abbatibus quidam,
subsequenti die certis de causis abitum
pararent, rogabant Reuerendissimum
Dominum Episcopum, vt quibus in
rebus à secularibus grauarentur, be-
nignè audire, consilium impartiri, &
auxiliatrices porrigere manus digna-
retur. Æquissimo desiderio Abbatum
benignè annuit Reuerendissimus, &
ad omnia & singula partim è vestigio
in Synodo publicè, partim etiam al-

tera die priuatim sufficienter respon-
dit: ac in omnem euentum nec consi-
lio nec auxilio DD. Abbatibus quo-
uis tempore, & occasione sese defutu-
rum, humanissimè est pollicitus, mo-
nuitque paternè, ut sequenti die omnes
mane campanæ signo dato, ad rem di-
uinam faciendam redirent, & residuis
Synodi negotijs incumberent. Cæ-
terum in sumpta iam maiori parte diei,
humaniter Clerum, ut cibo, & potu re-
ficeretur, Episcopus inuitauit.

Pulsu campanæ tertio, die etiam Sy-
nodi tertia, præcedente; in præsentia
Reuerendissimi D. Episcopi, & Cle-
ri totius; Dominus Abbas Vincenti-
nus officium de S. Ioanne Baptista Pa-
tronoo Ecclesiæ Wratislauien: celebra-
uit. Post hæc in Curia Episcopali de
temporalibus quædam proposita, eaq;
post diligens examen approbata fue-
runt.

Tum

Tum Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, Seminarij faciens mentionem; si idem Clericorum augeretur numero, consultum arbitrabatur, atq; ob id cum Conciliū Tridentinū less: XXIII Cap. XVIII. de reformatione, certum præscribat, ad Seminarij sumptus contributionis modum, rogabat, vt Reuerendissimus ex Prælatis, vel Canonis Ecclesiæ Cathedralis vnum, alium etiam Capitulum nominaret, qui postmodum ea de re consultarent, suæque Reuerendissimæ Celsitudini quid fieri expediat, referrent. Quod Venerabilis Capituli responsum Reuerendissimo D. Episcopo non displicuit, adiecitque, Dominos Archidiacores nudius tertius visitationes suas obtulisse; quæ propter occupationes, sicuti oportebat, accurate reuideri nondum potuerint, sed adhibitum se vires

doctos, qui diligentius hæc expen-
dant, & in medium consulant, qua ra-
tione petitionibus Clericorum satis-
fiat.

Et cum Reuerendissimus D. Epi-
scopus, tum à Prælatis, tum ab alijs Cle-
ricis aliquoties intellexisset, quædam
in concilio contineri Tridentino, quæ
non modo difficilia, sed quasi impossi-
bilia in hac prouincia obseruata es-
sent: Episcopus vtrum ea scriptis con-
signata in promptu haberent, interro-
gabat; quæ aliqua moderatione indi-
gerent, & quorū præcedente etiā Syn-
odo mentio facta esset; ea enim de re
ad S.S. Sedem Apostolicam tempesti-
uè, vt referretur se non prætermis-
sum. Cathedralis Ecclesiæ Capitu-
lum aliquot capita in scriptis Reue-
rendissimo obtulit, rogauitq; vt dispē-
sationem si ita S. Reuerendissimæ Cel-
studini

situdini visum esset, apud S.S. Sedem Apostolicam vrgeret, DD. Abbates & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, difficultates quasdam ex Concilii Tridentini decretis allegabant, eas ut similiter in scriptis exhiberent, Episcopus commodissimum iudicauit. Ad extremum vbi grauamina Clerus exhibuisset, Reuerendissimus D. Episcopus sese vna cum aliquot Prælatis, & Canonicis ex Ven: Capitulo legere, adamussim expendere, & necessitatibus eorum consulere velle, clementer promisit.

Quibus ita peractis, cum Reuerendissimo Domino Episcopo interrogante, vtrum decreta his diebus lecta, approbarent, ita ut emendata imprimi possint, reliqui annuisserent: Domini Abbes conditionem adiicabant; sibi decreta placere, in omnibus in quibus non

non sint contra iura immunitates, &
privilegia monasteriorum, de quo se-
lenniter protestabantur. Reuerendissi-
mus D. Episcopus, Protestationem
eatenus admisit, quatenus non præiu-
dicaret iuri, & libertati Reuerendissi-
mi tanquam loci ordini: item Sacro-
rum Canonum & Concilij Tridenti-
ni Decretis, de quose in contrarium
solenniter protestationem interpone-
re aiebat.

Et hisce Reuerendissimus Domi-
nus Episcopus omnibus benignissi-
mis verbis gratias egit, quod ad citati-
onem, & requisitionem ipsius Synodi
Diœcesanæ negotijs, quæ ex sacris ca-
nonibus, prouincialibus, & Synodali-
bus constitutionibus & Concilio Tri-
dentino sua habuerint fundamenta in-
terfuerint. Nihil amplius nunc super-
esse, quam ut ea, quæ piè, & sanctè à
Diœce-

Dicæsana Synodo vnanimiter con-
stituta sint , firmiter , & inuiolabiliter
ab omnibus obseruentur. Deusq; pro
augmento religionis , & fidei Catho-
licæ sedulo imploretur, dataq; benedi-
ctione , omnibus licentiam abcundi
concessit , præterquam ijs , quibus ad
querelas, vel consilium impertien-
dum, vel auxilium afferen-
dum erat.



G

Nomina

**NOMINA PRÆCIPVO-
RVM, QVI AD SYNODVM HANC
Diœcesanam Wratislaviæ
conuerunt.**

R E V E R E N D I S S I M V S
& Illustrissimus in Christo Pater, ac
Dominus, D. Andreas Dei gratia
Episcopus Wratislaviensis, Coronæ
Bohemiarum Princeps Liges, Sac. Cæs.
Maiestatis Consiliarius, atq; Supre-
mus Superioris, & Inferioris S-
lesiæ Capitaneus, Præsidens i
Synodo.

**Reuerendissimus D. Adamus Episco-
pus Nicopoliensis, & suffraganeus
Wratislaviensis.**

**EX CAPITVLO CATHE-
dralis Ecclesiæ Wratislaviensis.**

Ioannes

Reuerendi Domini.

Ioannes Sitsch Præpositus.

Adam Landeck Decanus.

Paulus Albertus S. T. Doctor
Scholaſticus:

Christophorus Gerſtman Custos.

Andreas Bogursky I. V. Doctor.

Vincentius Salnius.

Balthasar Habicht, Artium libe-
ralium Magister.

Bonauentura Han I. V. Doctor.

Georgius Scultetus S. T. Doctor

Conradus Waibelius S. T. Do-
ctor, Vicarius in spiritualibus,
& officialis generalis.

Gasparus Hiltprandus Artium li-
beralium Magister.

Georgius Andreades Sacrae Theo-
logiæ Doctor Can:

EX DOMINIS ABBA-
tibus.

Domini

Hieronymus Lubensis.
Ioannes S. Vincentij Wratislaviæ.
Iacobus Saganensis.
Nicolaus Heinrichouieñ:
Antonius Camenicen:
Gasparus Grislouiensis.
Gregorius Stoianus Iemelnicensis.

Laurentius Girlicius ablegatus
Michaelis Waltheri Abbatis Rau-
densis.

Prior in Pratis ad Glogouiam su-
periorem ordinis Sancti Pau-
li primi Eremitæ.

COLLEGIATARVM
Ecclesiarum Ablegati.

Glogouiæ maioris.

Georgius Scultetus Præpositus.
Martinus Lemhusius Decanus.
Gasparus Sella Archidiaconus.

Sanctæ

SANCTÆ CRVCIS Wratislaviæ.

Adamus Kessel Artium liberalium Ma-
gister,

NISSENSIS.

Sebastianus Hartman Sacræ Theolo-
giæ Doctor Præpositus.

Nicolaus Tinczman Medicinæ Do-
ctor.

OPPOLIENSIS.

Jacobus Zuretius Decanus.

Ioannes Kuna Archidiaconus.

Ioannes Zvvick Custos.

RATHIBORIENSIS.

Petrus Sebisch Decanus.

Georgius Stephetius Custos.

GLOGOVIAE MINORIS.

Albertus Petricz Decanus.

Magistri Hospitalis S. Matthiæ able-
gatus F. Ioannes Prussius.

Cathedralis Ecclesiæ Wratislauiensis
Concinator, & eiusdem Ecclesiæ
Pœnitentiarius.

FALCKENBERGENSIS.
Andreas Rosnecky Præpositus.

PRÆPOSITI. MO-
nasteriorum.

Fra: Wenceslaus Præpositus Rosen-
bergensis.

Fr: Ioannes Fuchs, Præpositus Zot-
ensis.

Fr: Franciscus Welle, Præpositus in
Seitsch.

Fr: Georgius Faber Præpositus, in
nouo Castro.

PRIORES ET FRATRES.

Fra: Martinus Opicz Prior ex Con-
uentu S. Vincen: Wratislauiæ.

Fr: Albertus Concionator Rosenber-
gensis.

Fr: Mathias Bittner Senior Conuen-
tus Saganensis. Fr: Bal-

Fr: Balthasar Rothentorn , Prior ad
diuam Virginem in arena Wratisla-
uiæ.

Fr: Paulus Sorauiensis Prior conuen-
tus Sancti Adalberti Wratislauiae
ordinis Prædicatorum.

Fr: Dominicus Wansouita, Prior Con-
uentus Suidnicensis S. Crucis or-
dinis Prædicatorum.

Fr: Blasius Gedaneñ: Prior ordinis
Prædicatorum ad SS. Petrum &
Paulum Glogouiæ maioris.

PRÆCENTORES.

Zacharias Felckel Sanctæ Crucis Su-
perioris Wratislauie.

Albertus Molitorius Sancte Crucis
in Crypta Wratislauiae.

ARCHIPRESBYTERI,
seu Decani Rurales.

EX WRATISLAVIENSI
Archidiaconatu.

Melchior

Melchior Lentsch Parochus ad S. Mau-
ritium.

Gasparus Schoresius Parochus Grot-
kouiensis.

M. Christophorus Lachnit Parochus
Cantensis.

Jacobus Arlenus Parochus in Czir-
kovicz.

Albertus Tricesius Richtalensis.

Stanislaus Podolsky Ostrossouiensis.

EX ARCHIDIACONATV
Glogouiæ maioris.

Matthias Heinicius loco Parochi in
Hoēnkirch.

Georgius Weigel Parochus in Prei-
chavv.

EX ARCHIDIACONATV
Legnicensi.

M. Laurentius Ionischer, Virginum
in Lubenthal Pœnitentiarius.

Matthias

Matthias Renner Parochus in Oberdorff.

EX ARCHIDIACONATU OPPOLIENSIS.

Ex sede Rosenbergi, Vitus Badesto, Parochus in Dobrodzin.

Ex sede Strelecensi Clemens à Stock Parochus in Grossovvicz.

Ex sede Thostensi; Ioannes Przissovsky Parochus in Thost.

Ex sede Gleyvvicensi Ioannes Seruacius Parochus ibidem.

Matthias Mazureck Parochus in Petri villa Senior.

Ex sede Zarenſi, & Wladislauiensi,
Ioannes à Plosta Parochus in Jadlovvnick.

Ex sede Rathiboriensi, Georgius
Richtineck Parochus in Lyscky.
Valentinus Sartoris Senior.

Ex sede Vgesdensi Petrus Ceruus
Parochus Lesnicensis.

Ex sede Coslensi Casparus Lessius
Parochus ibidem.

Stanislaus Wartman Parochus in
Kostenthal Senior.

Ex sede Glogouiae minoris Sebastianus
Rudolphi Parochus Schö-
nouiensis.

Ex sede Cilicensi, loco Iacobi Rudol-
phi, Vincentius Matthaei Cano-
nicus Rathiboriensis.

Adamus Charinus Parochus Cili-
censis Senior.

Ex sede Falckenbergensi, Petrus
Zmarcky Vicarius Falckenber-
gensis.

Prater supra scriptos Pralatos, & Sacerdotes in
dignitatibus, & officijs constitutos, ex religiosis
fratribus, Ecclesiarum Vicarijs, Altaristis, &
Parochis villarum, magnus adfuit nurne-
rus, quorum nomina recensere su-
permacaneum videretur.

CONSTITUTIONES SYNODI DIOCESANAE.

DE FIDE, ET RELIGIONE CATHOLICA.

DE PROFESSIONE FIDELI

Caput I.

Vi sacras ædes, theatra, pri-
uatasue domos, magnifici
alicuius operis erigere, &
structurarum, suiq; nominis
perpetuitati, ac memoriæ inseruire vo-
lunt: in fundamentum primo cogita-
tiones, & labores conuertunt, idq; vt
omni studio firment, & stabiliant; cir-
culos, aliasq; ex Geometrica discipli-
na conuenientes figuræ mutuati, ad
earum normam, & artificis certam de-
lineationem, solum aut ante firmum
occupare, aut fragile, saxis aliaue ma-
teria accommodata firmare consueue-

runt : Frustra enim duraturæ molis, &
ædificiorum constantiam sibi pollici-
rentur; nisi fundamenti immobilis cer-
titudo, omnes reliquas structuræ par-
tes, ad operis usque absolutionem, hu-
meris velut in se se recipere, & sufful-
ciret. Cum igitur omnes, qui Christi
Ecclesiæ inserti, eius professioni no-
men suum verè dederunt, magnam ani-
mo moliantur felicitatis perpetuæ stru-
cturam, quæ in omnem æternitatem
duratura sit ; à Fundamento, quod est
FIDES CHRISTIANA, &
CATHOLICA, sine qua impos-
sibile est placere D E O, ad imitatio-
nem sanctorum patrum in hac Syno-
do nostra exordium sumendum erit, ut
hoc idoneo, & in fallibili fundamento
posito, reliqua omnia facilius super-
strui, & sine ullo ruinæ metu, firmius,
certiusque stabiliri possint. Et si au-
tem

tem in ea Synodo, quæ Anno M. D.
LXXX. ab Illustrissimo Principe,
ac Reuerendissimo Domino Martino
Episcopo Wratislaviense, proximo
Antecessore nostro piæ, & felicis me-
moriæ celebrata est, omnes, qui inter-
fuerunt Synodo, fidei Catholicæ pro-
fessionem, secundum Bullam, siue præ-
scriptum Pij Quarti Pontificis maxi-
mi, solenniter præstiterunt: Quia ta-
men ab eo tempore non pauci Prælati:
Canonici, & alij beneficiati in Domi-
ni Sortem vocati accesserunt, eos fidei,
professionem facere, & quæ corde cre-
dunt, tum alijs grauibus de causis, tum
ut omnes intelligant, perpetuam esse
debere in Ecclesia DEI concordiam,
vnanimitatem, & consensum, nobis
præeuntibus, ore idem profiteri, & ali-
os etiam repetere, in hac Synodo, sicut
paulo ante dictum est, æquum censi-

mus. Quoniam autem non sufficit, ut Ecclesiastici quorum exiguus numerus est, soli credant, aut soli officij, ac muneris sui admoneantur; sed ad DEI Optimi Maximi gloriam, ad Catholicæ religionis propagationem, & ad Christianæ Reipublicæ utilitatem pertinet; ut in hac fide Catholicæ omnes, qui Christi Ecclesiæ inserti sunt, illique nomen dederunt, instruantur; sequentes articulos, seu constitutiones in Synodo conscriptas, Saluis tamen prioribus Decretis, tam Diœcesanæ quam prouincialium Synodorum ac reliquis SS. Ecclesiæ Catholicæ, in primis vero Oecumenici & SS. Concilij Tridentini præceptis, Sanctionibus, & ordinationibus, vbi à SS. sede Apostolica iustissimæ censuræ trutina examinatae & approbatæ fuerint, in primi, & publicari curabimus,

vt

vt ad omnium æquè noticiam perdu-
cantur. Omnes igitur Christianos &
præcipue Ordinis Ecclesiastici viros,
sicuti Catholicam Religionem profi-
teri, & pro illa etiam laudabili sancto-
rum martyrum exemplo , vitam, &
sanguinem profundere paratos esse
decet , ita Saluatoris nostri præceptis,
qui pollicitus est , corām patre suo eos
se se agnitorum, qui in hoc mūdo ipsum
confessi essent , & Sacro Sancto Con-
cilio Tridentino Sess. XXIIII. Cap.
XII. De reformatione, adducti sta-
tuimus, vt in posterum nemo ad quam- **XV**
cunque Prælaturam , Canonicatum, //
tam in Cathedrali, quam Collegiatis //
Ecclesijs ad Parochiam Mansiona-//
riam, vel Vicariam, vel ad munus con-//
cionandi priusquam solennem fidei //
professionem fecerit, vlo modo admir- //
tatur. Et quoniam experientia con-
stat,

stat, tenella puerorum ingenia quic-
quid in puerili ætate inbibunt, tenaci-
simè retinere, & ad præceptorum nu-
tum atque exemplum sese conformare,
statuimus, vt Scholarum Rectores,
Magistri, Baccalaurei, & alij, qui pue-
ros literis germanicè legendis, & scri-
bendis, atq; in Arithmeticis rationi-
bus instituunt, ab Archidiaconis, &
Visitatoribus compellantur, quo hanc
fidei professionem faciant, vt securius
& tutius pueri illorum institutioni
concredi possint. In posterum etiam
ad huiusmodi officia exercenda in Ci-
uitatibus non admittantur nisi fidei
professionem faciant, atq; etiam si Or-
dinario visum fuerit, stipulata manu
promittant, se nec libros lascivos aut
suspectos illis prælecturos, aut quic-
quam contra Catholicam fidem vn-
quam docturos. Idem obseruari volu-
mus

mus de fidei professione in ijs qui religionem aliquam ingredi volunt; Idq; vt ante annum probationis fiat, cum indignum censeamus, vt qui ad perfectiorem statum aspirant, de fide & religione veluti dubios suos superiores relinquant. Et hæc quidem fidei professio coram nobis vel nostro in spiritualibus Vicario generali, flexis genibus, & debito cum reuerentia & honore prestanda erit.

DE FORMA PROFESSI- ONIS FIDEI.

Caput II.



Orma autem huius professionis nulla alia sit, quam quæ Bulla, siue rescripto Pij Quarti Pontificis Maximi, hisce, quæ sequuntur verbis, est comprehensa.

I

Ego

Ego N. firma fide credo, & profiteor, omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur videlicet: Credo in vnum D E V M, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, & in vnum dominum I E S V M C H R I S T V M, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia secula: D E V M de D E O, Lumen de lumine, D E V M V E R V M de D E O vero: genitum non factum: consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est,

tus est , & resurrexit tertia die secundum scripturas , & ascendit in cœlum , sedet ad dexteram patris , & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos , & mortuos , cuius regni non erit finis ; & in spiritum sanctum dominum & vivificantem , qui ex patre filioque procedit , qui cum patre & filio simul adoratur , & cōglorificatur : qui locutus est per Prophetas , & unam sanctam , Catholicam , & Apostolicam Ecclesiam . Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum , & expecto resurrectionem mortuorum , & vitam venturi seculi , Amen . Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones , reliquiasq; eiusdem Ecclesiae obseruationes , & constitutiones firmissime admitto , & amplector . Item Sacram scripturam iuxta eum sensum , quem tenuit , & tenet

sancta matér Ecclesia, cuius est iudica-
re de vero sensu, & interpretatione sa-
crarum scripturarum admitto, nec eam
vnquam nisi iuxta vnanimen consen-
sum patrum accipiam, & interpreta-
bor. Profiteor quoque septem esse verē
& propriè sacramenta nouæ legis à le-
su Christo, domino nostro, instituta,
atque ad salutem humani generis, licet
non omnia, singulis necessaria; scili-
cet Baptismum, Confirmationem, Eu-
charistiam, Pœnitentiam, Extremam
vnctionē, Ordinem, & Matrimonium:
illaque gratiam conferre, & ex his, Ba-
ptismum, Confirmationē & Ordinem,
sine sacrilegio reiterari non posse, re-
ceptos quoque & approbatos Ecclesiæ
Catholicæ ritus in supradictorū omni-
um Sacramentorum, solenni admini-
stratione, recipio & admitto, omnia &
singula, quæ de peccato originali, & de
iustificatione

iustificatione in Sacro sancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt amplectior, & recipio: Profiteor pariter in Missa offerri DEO, verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis, & defunctis, atq; in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & Divinitate Domini nostri I E S V CHRISTI, fieri q; conuerzionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinē, quam conuerzionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Facto etiam sub altera tantum specie, totum atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi, Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari: similiter, & sanctos vna cum Christo

regnantes , venerandos , atque inuocan-
dos esse , eosque orationes DEO
pro nobis offerre , atque eorum reliqui-
as esse venerandas . Firmissime assero ,
imagines Christi , ac DEI paræ semper
virginis , nec non aliorum Sanctorum
habendas , & retinendas esse , atque eis
debitum honorem ac venerationem
impertiendam . Indulgentiarum et
iam potestatem à Christo in Ecclesia
relictam fuisse , illarumque usum Chri-
stiano populo maxime salutarem esse
affirmo . Sanctam Catholicam & Apo-
stolicam Romanam Ecclesiam omnium
Ecclesiarum matrem & magistrum a-
gnosco , Romanoq; Pontifici , beati
Petri Apostolorum Principis Succes-
sori , ac Ihesu Christi Vicario veram
obedientiam spondeo , ac iuro : Cætera
item omnia à sacris canonibus , &
Oecume-

Oecumenicis Concilijs, ac præcipue
à Sacrosancta Tridentina Synodo
tradita, definita & declarata indubi-
tanter recipio atque profiteor, simul
quæ contraria omnia, atque hæreses
quascunq; ab Ecclesia damnatas, &
reiectas, & anathematizatas, ego pa-
riter damno, reijcio, & anathematizo.
Hanc veram Catholicam fidem, extra
quam nemo saluus esse potest, quam in
præsenti sponte profiteor, & veraciter
teneo, eandem integrum & inuiola-
tam, usq; ad extremum vitæ spiritum
constantissimè (DEO adiuuante) reti-
nere, & confiteri, atq; à meis subditis,
vel illis quorum cura ad me in munere
meo spectabit teneri, doceri, & prædi-
cari, quantum in me erit curaturum.
Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro:
sic me Deus adiuvet, & hæc sancta
DEI Euangelia.

Nomina

Nomina eorum, qui fidei professio-
nem quouis in loco fecerint, Tituli
item beneficij, seu Parochiæ; siue Ec-
clesiæ, ad quam quisque promouendus,
vel iam promotus sit, Episcopalis Can-
cellariæ regestis peculiaribus inseran-
tur, nemoque sine Authentico profes-
sionis fidei testimonio, ad possessionem
Prælaturæ, Canonicatus, vel Parochiæ
Mansionariæ, Vicariæ admittatur.

DE CONCIONATORI- BVS.

Caput III.



Vi agris conferendis occu-
pantur, in semine deligen-
do non postremam, imò præ-
cipuam fermè curam habēt,
quod alias feracissimum, & bene ex-
cultum solum obseminis imperfectio-
nem,

nem, spem serentis frustratur. Seminis
autem perfectè viuacis tantam norunt
esse vim, & efficaciam, ut terræ etiam
qualitate non nihil resistente, ipsa cul-
tura lætis culmis, ac aristis proueniat,
& enascatur, fructu copioso abundet
& messe locupletet. Ut igitur in agro
fidei apud populum nostræ Dioecesis
similis fructus expectari possit: præter
Symbolum fidei, quo Sacro Sancta
Romana Ecclesia vtitur, & præter ar-
ticulos omnes in eo contentos, quos
populus firmiter crebet viuido, & viu-
fico verbi diuini semine opus erit: sta-
tuimus itaque, ut omnes Prælati, Paro-
chi, & alij, ad quos munus docendi spe-
ctat, diligenter omnia dogmata Ca-
tholicæ Religionis populo summo stu-
dio, & cura, cum in publicis concioni-
bus, tum priuatim etiam, quauis com-
moda occasione proponant, & vt quam

K plurimos

plurimos Christo lucrificant, perennem, & salutarem operam nauet. Fieri enim non potest, quin ex assidua cultura, in cordibus humanis, seges lata prouentura sit: cui pullulanti & nascenti, misericors Deus, rorem beneficiorum asperget, & fructum æternæ beatitudine fœundabit. Ad hanc rem, & cum primis ad prædicandi officium feligantur viri Catholici, pij, graues, & maximè idonei, qui tam vita, quam doctrina populo præeant, et qui mortuorum integritate, & cognitione scripturarum, ytriusq; Testamenti, quam maximam in vinea Domini facere contentur messem.

QVID DOCERE DEBEANT CONCIONATORES.

Caput IIII.

Articulos

Articulos de hominibus iustificatione, De Missæ Sacrificio : De Sacramentis : De invocatione Sanctorum : De veneratione reliquiarum, & imaginum: De Purgatorio: De indulgentijs, & votis: & si qui sunt alij, qui à scelestis Neotericis in dubium impiè vocantur, Parochi fideliter explicit: quid credendum sit doceant, prudenter etiam calumnias diluant hæreticorum, qui Sacramenta, & articulos fidei & ceremonias Ecclesiasticas, & totum denique cultum diuinum ac Religionem Catholicam, cum alias passim, tum præcipue apud imperitam, & nimis credulam multitudinem plebis, indesinenter calumniari non verentur. Dum diebus Dominicis, & alijs diebus festis, Euangelica historia populo legitur,

Parochi & concionatores circumspēcte quippiam ex controvērsijs pro auditorum captu explicabunt. Quod si Parochus eius eruditionis non sit, ut dilucidè, ac solidè eiusmodi quæstiones tractare possit: satius erit ab ipso simpliciter veritatem, omissa disputatione proponi: Hortetur autem populum ad timorem Domini, ad Religionem Catholicam constanter retinendam, vel si Catholicus non sit, ad amplectendam eandem; ad bona opera exercenda, & ad piè viuendum: de hortetur contrà ab omni scelere, flagitio, atq; ab his maximè vitijs ad quæ peculiariter homines suæ Parochiæ senserit propendere.

ORDO QVIS A CONCIONATORIBVS IN DOCENDO SIT OBSERVANDVS.

Caput V.

Prædica-

Rædicationis in Ecclesia
Dei munus præcipuum , ac
per necessariū , cum magno
administretur fructu , ac
vtilitate , si modo recte , & ex sincera
charitate erga DEV M , & proximū
& secundum præcepta , & exem-
pla Sanctorum Patrum , qui hæc profi-
tentes fidei Catholicæ propagatione ,
plurimum Ecclesiæ contulerunt exer-
ceatur : necessarium esse duximus , Cu-
ratis omnibus ijs , præfertim , qui parum
moratæ plebis Rectores sunt , certum
modum præscribere , quoad vtilitatem
eorum , quos instruunt , ipsorum officiū
potissimum dirigatur . Iccirco statui-
mus , & ordinamus : vt Parochi audito-
ribus suis , præter Euangeliorum ex-
plicationem partes Catechismi Ro-
mani , certis anni temporibus , & hoc
quidem ordine explicandasibi sumāt :

ā die Epiphaniæ ad Quadragesimam
vſq; Decem præcepta DEI: In Qua-
dragesima de Pœnitentia, & Eucha-
ristiæ Sacramento: tempore Paschæ
de Baptismo & Confirmatione: cir-
ca festum Pentecostes, de oratio-
ne Dominica: post festum Trinita-
tis Symbolum Apostolorum; & sic
vnius anni circulo reliquas Cate-
chismi partes absoluant. Expedit et-
iam, vt doceant plebem Apostolica-
rum traditionum, & sacrarum cœremo-
niarum ordinem, vim & institutionem:
quo religiosius, & maiori cum reue-
rentia, omnes pietatis capaces, illam
excellentem harmoniam penitus co-
gnoscant, & amplectantur. Indulgen-
tiarum literas in omnibus passim Ec-
clesijs reuideri ab Ordinarijs Visita-
toribus, & ad consolationem anima-
rum à Parochis, & alijs Concionatori-
bus certo tempore, quod ex circum-

specto Visitatorum arbitrio constitue-
tur, ex Cathedra publicari, & promul-
gari iubemus. In genere autem ex Sa-
cro Sancti Concilij Tridentini decre-
tis statuimus, ut nemo nobis contradic-
centibus prædicare præsumat.

DE CONCIONATORI

BVS REGULARIVM.

Caput VI.

 Dem quoq; obseruandum
est, quo ad Regulares ex
Decreto Concilij Triden-
tini, quo etiam cautum est,
vt nullus regularis Canonicus aut
Monachus, cuiuscunq; ordinis, prædi-
care præsumat, ne insuis quidem Ec-
clesijs, nisi superiorum suorum licentia,
& morum, vitæ, & scientiæ examen &
approbatio præcedat. Quia in re lon-
ge utilis adhibenda erit cautio, vt co-

ram

ram quilibet eiusmodi consensus apud
nos fidem faciat, & benedictionem pe-
rat. In alijs autem Ecclesijs, quæ ordi-
num non sunt, præter concessionem
suorum superiorum, eamq; recentem,
& legitimam, sine licentia nostra nullo
modo possunt prædicare; Monachi
autem errones, qui nomine solum re-
gulares, extra claustra, & obedientiam
Religionum suarum hincinde ober-
rant, & diuagantur: Presbyteri iten
eius conditionis seculares (nisi sint no-
bis noti) ne in ciuitate vel Dioecesi
conclaves faciant, sunt prohibendi.
Ne Parochi, aut concionatores seduli-
tatis & laboris iacturam faciant, suoq;
munere sine fructu fungantur, quod fit
si plebs à sacris, & concionibus absit:
Præfectis, & magistratui in omnibus
ditionibus nostris seriò iniungimus,
ut tempore Concionum & diuinorum
officiorum,

officiorum, ociosam, & bibulam turbam à tabernis, è foro, & plateis abigant, & ut concionibus, & diuinis officijs intersint, nisi legitimis causis impedianter diligentissimè hortentur, vel potius autoritate sua omnino curent.

Hortamur autem omnes alios, cuiuscumq; ordinis, vel status fuerint, vt in locis, & Dominijs sibi subiectis idem fieri curent: id cum Christianæ pietati conuenientissimum sit, omnino futurum nobis planè persuasum habemus.

*A QVIBVS CONCIONATORES
ABSTINERE DEBEANT.*

Caput VII.



Vm homo omnis ad humanitatem, & benè dicendum natus sit potius, quam ad infi-

L figens

figendum mordacis linguae vibrante
aculeum, aut ad inspergendarum factis
alienis labem: id præ ceteris conciona-
tores Religiosi & seculares meminisse
debent, quos serio monemus, ut in fugi-
gestu à lcommatibus, maledictis, & con-
vitijs omnino abstineant: in confessio-
ne enim, si semel atq[ue] iterum eiusmodi
dicterij asperiorem infixerint mor-
sum: vulnus aut difficillime per sanari,
aut si sanetur, cicatricosum nihilomi-
nus relinqui locum: quod in publico
conuictia passi, exacerbatores magis-
ac magis reddantur, eosq[ue] odio habe-
ant, quos veluti patres, & salutis asser-
tores aliâs venerati fuissent. In quæsti-
onibus controversis, si mentio pro con-
cione fiat, moderata linguae temperies
adhibenda, & cauendum est, ne temerè
conuictia iactent, sed salua Catholicæ
unitatis veritate, charitatem, & bene-
volenti-

uolentiam erga omnes præferant.
In repræhendendis criminibus graui-
tatem adhibeant, & prudentem aliquā
vehementiam, iracundia & omnis exper-
tem, & vitia quidem redarguant so-
lum, neminem autem vñquam nomina-
tim perstringant, nec ullo signorum
genere detegant; nullum ordinem, sta-
tum aut tribum asperius appellent,
multo minus apertè & nominatim vel
Ecclesiasticum vel ciuitatem magistra-
tum repræhendant. Nocturno tempo-
re nemini liceat concionari, nec dum
die habetur concio, in eadem Ecclesia,
clara, vel submissa voce Missæ legan-
tur, vel horæ Canonicæ decantentur,
nec Baptismi Sacramentum eadem ho-
ra, nisi necessitate aliud exigente ad-
ministretur, vel quicquam aliud aga-
tur, quod concionatorem ipsum, vel
Auditores turbare possit.

Si Prædicator errores, aut scanda-
la in populum disseminare depræhen-
datur, aut aliūs secularis, vel regularis
contradicentibus nobis prædicare
præsumat, ijs sine mora conciones in-
terdici mandamus.

QVALES LIBROS PA- ROCHI HABERE DEBEANT.

Caput VIII..

VT Rectores Ecclesiærum, se-
cundum sanam scripturæ in-
telligentiam verbum DEI
annuncient, librorum vere
Catholicorum honesta supellestili in-
structos esse eos oportet: statuimus
igitur, & mandamus, ut omnes Paro-
chi, præter sacra Biblia, vnam, & alte-
ram Postillam, Catholici scriptoris,
qualis est Thomæ Stapletonij, Ludo-
uici.

uici Granatensis, Iacobi Feuchti, &c.
Catechismum item Concilij Tridentini, Summam, Siluestrinam, Francisci de Victoria; Doctoris Nauarræ, Rationale diuinorum officiorum, Directorium audiendi confessiones Polanci; & auctorem præterea probatum, qui fidei tractet controværias, sibi comparent: neq; alicui Parochiam credi volumus; qui aliquos saltem prædictorum librorum non habeat. Curæ autem erit nobis, ut apud Bibliopolas Nissenses tales libri venales reperiantur: ne apud Parochos ob penuriam exemplorum, excusationi ulli supersit locus. Parochi villarum, qui legitimo impedimento tempore pomeridiano Christianam doctrinam, & Catechismum iuuentutem docere non possunt, ante concionem orationem Dominicam, & salutationem Angelicam: post

concionem Symbolum Apostolorum:
alio vero tempore præcepta Decalo-
gi, quinque præcepta Ecclesiæ articula-
ta voce recitent, & iuuentus præeun-
tem imitetur, & paulatim addiscat.

DE PROCLAMATIONI *BVS Post CONCIONEM.*

Caput IX.



Ndecorū quinimo ineptum
est sacra profanis misceri,
hūic ut salubri occurratur
remedio, statuto nostro expressè, & se-
rio cauemus, ne proclamations fiant
in templis quarumuis rerum: quæ ad
secularem magis negotiationem quan-
dam, quam ad Ecclesiam pertineant,
ut sunt: venditiones domorum, agro-
rum, & eius generis etiam leuiorum.

DE

DELECTIONIBVS

SACRIS.

Caput X.



Onsueuerūt Medici peritiores, in periculis & acutis morbis, omni cura variarum medicinarū cōpositiones, ex artis suæ penetralibus desumptas, in promptu habere: vt contumacium morborum læthalem vim frangant, v̄su medicinæ præstantis arceant, aut corpus iam ægrum restituant sanitati. Id in hæresum quoq; morbis vbi cum corpore anima in periculo versatur faciendum esse SS. Concilium Tridentinum censuit, cuius Decretis insistentes statuimus, vt à Parochis quidem vbique pro Concione Euangelium explicetur, fides Catholica doceatur, apud Ecclesiam

clesiam verò cathedralē, tanquam in
loco ob maiorem frequentiam Præla-
torum, Canonicorum, aliorumque Sa-
cerdotum, magis celebri, & honorato,
singulis septimanis bis, vel semel ad
minus legatur lectio Theologica, qua
controversi Articuli huius temporis
explicantur, & aduersariorū argumen-
ta, Catholicorum dogmata impugnan-
tia refutentur, & velut Antidotus præ-
sentissima, veneno sectariorum oppo-
natur. Hora lectionis ea præfigatur;
quæ Vicarijs Mansionarijs, & reliquis
Sacerdotibus, & Clericis in Psallendis
horis Canoniciis, & cultui diuino in
Ecclesia nullum afferat impedimen-
tum.

In Schola ciuitatis nostræ Nissen-
sis, vbi propter Seminarium Clerico-
rum & Pædagogium nobilium secula-
rium maior est Scholasticorum nume-
rus,

rus, & frequētia: præter lectiones Controversiarū, casuum etiam conscientiæ lectio, bis vel ter in septimana secundū captum Auditorū adiūciatur. Abbates Wratislauiæ commorātes, fratres suos, qui nec in Seminario nostro Nissæ, nec in aliqua Academia studēt, ad lectiones in Insula Wratislauiensī audiendas mittant. De reliquo omnes Abbates, iuxta antiquas consuetudines, & statuta Prouincialia, & Concilij Tridentini decretum, in suis Monasterijs, & conuentibus, Magistrum Theologiæ, qui sacram scripturam interpretetur, alant, vt suo tempore ex ipsorum gremio idonei ad Monasteria gubernanda, aut Ecclesiæ Parochiales regendas inueniantur.

Sed & Catechismum, Parochi maximè in populosis oppidis, & locis, vel mane vel à prandio doceant: vel certè advigilent, vt ludi Magistri, &

Pædagogi, in Scholis pueris fidei rudimenta sedulò inculcent.

DE LIBRIS.

Caput XI.



Elebrium Rerum publicarum historici, præter cætera laudabiliter constituta, hoc non in postrema posuerūt laude, quod scurriles libros ob dicacitatem & ingenij virulentiam Vrbe sua interdixerint, ne illorum lectione castis, & honestis ciuium moribus aliquid venenata mordacitatis instillaretur. Eandem enim cautionem adhibendam in moribus, & vita censebant, quam pestis contagiosa lue sequente, alij naturæ ductu ad conservationem sui adhibere consueuerunt. Cuius ut leuitiam effugiant Antidotis ex varijs

terra nascentibus vtuntur, & fructus,
odores, liquores, pesti, specifica vi ad-
uersantes, ab extremis Indispetunt; In
primis verò cauent ne in loco infecto
commorentur, cum ex aëris contagiosi
attactu nihil nisi certum veneni peri-
culum, & mors ob oculos versetur.
Hanc industriam nos quoque imitari
æquum est, vt & morum honestatem,
vitæque integratatem populo Christiano dignam, in Dioecesi nostra con-
seruemus, arceamus autem potissimum
ea hæreticorum librorum venena, ex
maledici, & blasphemæ profecta spiri-
tus suggestione, quæ peste eò nocen-
tiora sunt, quò magis præcipuam hu-
manæ essentiæ partem, animam videli-
cet inuadunt, ac æternæ damnationi, &
cruciati bus obnoxiam reddunt. Re-
medium autem vix ullum efficacius
reperitur, nisi vt infelicissimæ huius

infectionis occasio evitetur , quod fiet
si concionatores , & Parochi sedulò in-
vigilauerint ; vt hæreticorum libri
improbatae lectionis extirpentur : sicut
nos vigore huius constitutionis seriori
omnibus mandamus ; In primis vero
Clericis , qui populum docent , ne li-
bros eiusmodi apud se retineant , aut
alios suæ commissos fidei habere pa-
tiantur : neque illos libros interna-
scere difficile erit , cum iam pridem in-
certum Cathalogū relati , & à Patribus
SS . Concilij Tridentini , ac à Pontifi-
cibus Maximis damnati fuerint ; quod
SS . sedes Apostolica videret , omnes
Iucubrations , ex hæreticorum pro-
deuntes officina , perennes esse fontes ,
qui perpetuum scaturiunt virus , &
instar Aconiti , succum proferunt leta-
lem . Huius præcauendi causa iterum
mandamus ne Prælati , & curati vlo-
modo

modo in locis eorum iurisdictioni
subiectis, eos importari, aut publicè
vendi, aut quoquis modo infidelium ma-
nus deuenire patientur. Qui monitis
obsecundare noluerint, ī Commissa-
rijs, & Officialibus denuncientur, vt
contumaci licentiæ huic oportunum
frenum iniiciatur. Et ne ignorantiae
sit excusatio, operæ premium erit Ca-
thalogum librorum prohibitorum sin-
gulis annis Nissæ in conuocatione Pa-
rochorum post S.S. Paschæ festiuita-
tem; per Archidiaconos verò, Archi-
presbyteris, & per hos, reliquis subie-
ctis Parochis in suis congregations-
bus quas certis anni temporibus
habere tenentur publicari. Nemo
etiam curatorum propria auctoritate
ad eiusmodi librorum lectionem acce-
dat, sitq; memor grauissimarum con-
stitutionum, quæ à Julio tertio, & à Pau-
loquarto alijsq; Romanis Pontifici-
bus,

bus, fe: rec: hac de re editæ sunt. Quod
siquis damnatæ illius lectionis libros
aliquos scienter apud se retinuerit: in-
tra octodecim dies à fine huius Syno-
di, sub pœna, & mulcta arbitraria, Vi-
sitoribus Ordinarijs tradi volumus.

D E P A R O C H I S.

Caput XII.



Vi inciūilibus vitæ humanæ
actionibus, munijsque gu-
bernandis, prudentiam con-
sultricem adhibent, eo respiciunt ma-
xime, vt rebus gerendis, dignos, &
idoneos præficiāt; rati hoc valdè opor-
tunum felicis successus medium esse, &
imperitos, paruique iudicij homines,
plus sæpius detrimenti, quam com-
modi, publicæ rei afferre. Id in Eccle-
siæ similiter negotijs, vt obseruetur,

cum

cum magna æquitate, ac usu maximo
coniunctum censemus. Sicuti igitur
in tota passim Dioecesi exactissimum
haberi delectum volumus, dum anima-
rum cura secularibus sacerdotibus
credenda est, ut præstantiorum, potio-
rumq; habeatur ratio; ita similiter in
Monasteriorum Parochijs hanc desi-
derari, circumspetionem nouimus;
ideoq; ex SS. Concilij Tridentini præ-
scripto sancimus, ut occurrente vaca-
tione Parochialium quæ Iuris Patro-
natus, Abbatiarum, aut aliâs Ecclesia-
sticâ fuerint, seruetur ad vnguem quod
salubriter constituit idem Concilium
Tridentinū d.c. XVIII. sess: XXIII.
vers. Si vero iuris patronatus: In be-
neficijs autem curatis, vnitis Abbatijis,
aut alijs Regularium Monasterijis, ser-
uetur decretum ipsius Concilij, c. VII.
sess: VII. atq; Constitutio Pij quinti,
fel:

fel:rec:de Vicarijs perpetuis. Si vero
ipsis in Monasterijs , aut domibus re-
gularium cura animarum immineat,
obseruandum utiq; esse , quod habetur
decreto , Cap. XI. sess. XXV. De
Regula : Nulli autem Parocho, vel
Rectori Ecclesiæ admisso & appro-
bato, suam Parochiam Beneficium, Ec-
clesiam sine licentia nostra expressa de-
serere, & alio migrare liceat. Monachi
verò vel Regulares cuiuscunq; sint
ordinis, aut status, reiecti à suis Abba-
tibus, superioribus, vel Prælatis, Paræ-
cias sub alijs non obtineant , nisi cau-
sam dimissionis in scriptis legitimam
probent. Meminerint autem Abbates
ne fratres suos iam professos , licet
inobedientes , aut etiam rebelles , ex
Monasterijs ita dimittant, vt neglectis
votis, secularium viuendi morem sibi
assumere ausint : sed iuxta ordinis sui
Regulam

Regulam , digna animaduersione in //
viam reuocent, vel contumaces addito //
vitæ , ac morum vero testimonio , ad //
aliud Monasteriū ordinis eiusdē dimit-//
tant: Eam si habet negotiorum multitu-//
do peculiarem, veluti vim in plerisque
humanis rebus, ut varietas , & copia
accuratam, quæ alias adhiberi poterat
diligentiam, excludat, aut torpidiorem
reddat : multò magis in Ecclesiasticis
munijs id vnu venire certō constat. Be-
nè igitur cum Ecclesijs agi arbitramur,
si vnica ab ynico Rectore curam ani-
marum habente, piè, fideliter , & suffi-
cienter gubernetur. Occasio alicuius
incommodi vt evitetur : Volumus, Ut
nemo plures Ecclesijs Parochiales, et
iam iuris Patronatus, cōtinere possit,
quamuis earum fructus valde tenues
existant, nisi à sede Apostolica dispen-

N sationem

sationem obtinuerit , cum multitudo
segniora efficiat officia & necessum
sit, quosdam subditos, aliquot Domini-
cis diebus, prædicatione Verbi DEI,
& SS. Missæ Sacrificio, & Sacramento-
rum administratione , negligi & de-
fraudari.

DE ARCHIDIACONIS
ET QVOD PRÆCIPVVM
EORVM IN VISITATIONE OFFI-
CIVM ESSE DEBEAT.

Caput XIII.



Oni Pastores præter eam,
quam adhibent curam , ne
ouiculæ pascui s commodis,
ac pabulo sufficienti destituantur, syl-
varum quoque latebras indagare , &
perscrutari soliti sunt , an Lopus ali-
quis in insidijs ibidem lateat; qui prædæ
causa

causa gregem inuadere , & oves rabi-
do dentium morsu dilaniare possit ;
cognita enim luporum vicinitate , pa-
stores diligentius excubias agunt , ca-
num custodias adhibent , & malum à
grege arcent , & auertunt . Parem se-
dulitatem , imò accuratiorem ab ani-
marum pastoribus requiri , & Saluato-
ris nostri admonitio , & ipsa ratio do-
cet . Iccirco statuimus , vt Archidia-
coni , in suo quisq; Archidiaconatu , Pa-
rochos Catholicos , & obedientes , non
solum visitet , lepram à non lepra diju-
dicet , & Christi eiusq; Ecclesię Ca-
tholicę insertas oves , à sectarijs secer-
nat , & tueatur ; Verum etiam lupis illis
pro viribus omnem in gregem Domi-
nicum irruendi præcludat , vigilanti
oculo commoditatem . Oportunum
erit hac de causa Archidiaconatum

N 2

Eccle-

Ecclesiæ, & Paræcias annotare, quæ,
& quo tempore à fidei Catholicæ unitate
desciuerint, cuius iurisdictioni in tem-
poralibus subiecti sunt, quam sectam,
Lutheri ne, Caluini, aut Schwænck-
feldij &c. amplectantur: ad hæc, an
Parochiani omnes ea secliariorum lue,
& luporum mortibus infecti sint, an
aliquibus pestiferum vulnus persana-
ri, & ex famelicis faucibus bestiarum
eripi possint. Ita enim iacula præuisa
minus ferient, & notæ Sectariorum
latebræ, minus extimescendæ erunt,
quin contra circumstantiæ certa consi-
gnatione exhibitæ, ad defendendum
tuendum, & augendum ouile, magnum
adiumentum præbebunt.

DE SCHOLIS.

Caput XIII.

Iulianus

Iulianus Imperator, magnus
ille Apostata, & acerrimus
Christianorum persecutor,
omnem Christi doctrinam
radicibus euellere, & extirpare volens;
callidissimum reperit inuentum; & in
toto Romano Imperio Christianis
scholas interdixit. Animaduertit astu-
tus veterator, frustra adultiores &
constantis aetatis homines dogmate
imbutos esse, si iuuentutis institutio
tolleretur; Quo enim fundamento niti-
debebat Religio, si illud dirueret, bre-
ui temporis spatio, maximam doctrinæ
Christianæ iacturam in Christiano
populo futuram, argutis oculis prospi-
ciebat. Neque res humanæ rationis
calculo, successu fuisse destituta; nisi
idem Apostata Julianus, qui ex Perfido
rediturus bello, funera crudeliter vo-
uerat Christianis, & excidium mina-

cus erat; in conflictu sagitta letaliter
vulneratus, cœlos aspiciens, & impijs
his verbis; Vicisti Galilæ, sermonem
ad Christum conuertens, crudelem
animam efflasset. Evidentissima igitur
Scholarum necessitas, vel nobis
tacentibus suadet, idque etiam hac
constitutione sancimus, vt tanti ædi-
ficij, tam in Ecclesiastica, quam poli-
tica Repub, fundamentum primum
vbiuis conseruetur, & oportunus ad
id in ciuitatibus oppidis & pagis etiam
maioribus, vbi prius non sit, eligatur
locus, & hæc prior adhibetur cura;
secundaria, vt in scholis præceptores
habeantur Catholici, probatæ vitæ,
ætatis iustæ, eruditionis, vt locus & of-
ficium exiget, sufficientis. Hiq; cum ad
id muneris eliguntur fidei professio-
nem iuxta constitutionem sanctæ mem:

PII

Pij quinti, & decretum à nobis superius editum, emittant, ijs mandamus serioè vt vnum eundemq; Catechismum Petri Canisij, prælegant, cum varijs authorum Catechismis, ingenia puerorum confundantur. Vniuersim scriptoribus Catholicis solummodo locum in Scholis concedimus, suspectos autem omnes, planè prescribimus, & perpetuo exilio mulctamus. Nam vt Theologica omittantur, plerumq; etiam Grammatici, Dialectici, & Rhetorici libri à Sectarijs, vario errorum cumulo contaminati, in lucem prodeunt, vnde infectionis periculum imminet iuuentuti: superiorum inspectio à quorum voluntate in assignandis prælectionibus, & authoribus probatis, Præceptores nunquam recedent; huic malo occurret, & salutarem manum adhibebit. In Germanicis Scholis idem

Cate-

Catechismus germanicè proponen-
dus, & explicandus est. Porrò Præce-
ptores diebus festis, & maxime Domi-
nicis, hora aliqua conueniente, Sym-
bolum Apostolorum, Orationem Do-
minicam, Salutationē Angelicam, De-
calogum, Præcepta Ecclesiæ & alia,
quæ in Catechismo continentur, pro-
captu & ingenio puerorum, pueris, qui
literas non didicerunt, explicent. Atq;
huic negotio in oppidis, & pagis, Pa-
stores ac Sacellani, aut Clerici, Scribæ,
aut alijs ad hoc idonei incumbant. Præ-
lati Ecclesiarum, tam Cathedralis,
quam Collegiatarum, & Monasterio-
rum subditorum suorum filios ad Scho-
las hæreticorum mitti seriō prohibe-
ant; eosq; potius Catholicis Præcepto-
ribus instruendos mandent tradi. Plu-
rimi inopes, cum numerosa prole abun-
dant, quorum in doles magnum in lite-
ris

ris progressum pollicetur, ac pauper-
tas parentum, quò minus ad frugem
perueniant, & emergant, filijs obstacu-
lo sit: hortamur omnes Ecclesiastici
ordinis viros, aliosq; ex bonis Eccle-
siasticis viuentes, vt ipsi in tanta necef-
sitate Ecclesiae, & Religionis Catho-
licæ iuuandæ commoditate, promptos,
hilares, ac liberales se præbeant, &
pauperum, & vilioris conditionis ho-
minum filios, in studijs liberaliter iu-
uent: in primis fermè rudimentis li-
terarum, indoles quemq; commonstra-
bit, an ad grauiores disciplinas idone-
us videatur. Si ad altiora aspirantes
in medijs subsistent, vel id non infrugi-
ferum erit: Visitatores cum aliâs vi-
sitant, Scholas non prætergredian-
tur: idem faciant sæpius, quibus
ex officio id peculiariter
incumbit.

O

DE

DE LIBRARIIS.

Caput XV.

Non liceat cuius de rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium quidlibet vllatione scribere, vel imprimere, vel impressos libros diuendere, aut apud se retinere, aut scripta etiam communicare, sine superiorum Ecclesiasticorum licentia, & examine, ac nostra approbatione (quæ in fronte vel fine, libri scripti, vel impressi apponenda est) Sub pœna Anathematis, ac arbitraria pecuniæ, & amissionis librorum : similiiter, nec Librarijs, Bibliopolis & Typographis concessum sit, in nostras ditiones ullos Sectariorum libros importare, advehere, & ibidem exponere venales : Quocirca vetustiorum Provinciarum

uincialium Synodorum exemplo sta-
tuimus, ut singulis annis ab his quibus
munus visitandi incumbit, vel quibus
nos hoc committimus Bibliopolarum
libri venumexpositi visitentur. Qui-
libet autem Parochus apud suæ Paro-
chiæ Patresfamilias cautè inquirat, an
libros hæreticos, in suis domibus ha-
beant, & si quos deprehenderit, Visi-
tatoribus, vel nobis significet.

Ne in locis iurisdictioni Ecclesia-
sticorum subiectis, dissensionis, & per-
fidiae Spiritus disseminetur, iniungent
omnes suis Præfectis, vt quoad eius
fieri potest, neminem ius ciuitatis ac-
quirere, aut in senatum cooptare si-
nant, aut ad officia honoraciona ad-
mittant, qui non prius se Eccle-
siæ obtemperaturum
recepérunt.

DE CVLT V DIVINO. ET ECCLESII.

Caput I.



Vm omne illud , quod in templis manufactis agitur totum in nobis spirituali redificatione compleatur : ipsaq; domus DEI in terris constituatur , vt in ea fidelium suorum exaudiat preces , visitet animum , excitet affectum , suæ gratiæ surroget auxilium , & nominis conservet cultum ; meritò sanè eiusmodi locorum dignitatem , & reverentiam pro viribus tuemur . Et quoniam compertum est , non raro Ecclesias sine Antecessorum nostrorum licentia , ac sine vlla dote ædificatas esse , quæ sartæ rectæ conseruari , & pro decore domus DEI exornari nequeunt ; statuimus , vt nulla Ecclesia de nouo in posterum , à quo-

à quocunq; quantumuis pio ducatur
zelò absq;ue permissione nostra ex-
truatur. Cum verò ex nostra licentia //
constituenda fuerit , fidelium in hac //
Dioecesi auclior numerus, & insignis, //
ac manifesta vtilitas, nouam erigi Ec-//
clesiam veluti cogeret ; ad hanc situs //
decens, honestus, & populi capax deli-//
gendus erit , ab alijs ædibus tantum //
distans, vt commodo circumiri, spatio //
possit : Altare verò maius Orientem //
versus in ea constituatur. Ante dotis//
verò assignationem sufficientem, v-
lum construi templum prohibemus:
quia enim ad rem diuinam faciendam,
& cultum peragendum , conseruan-
dam etiam ipsam Ecclesiæ structuram,
redditibus opus est; ne si his careat Ec-
clesia, posteaquā ædificata & consecra-
ta fuerit , in profanum vsum vicissim
conuerteretur. Domicilia nostra maxi-

missæpe sumptibus exornare, & aëris
intemperiem, ac iniuriam arcere con-
sueuimus: maiorem adhibemus soler-
tiam, ad corporis deperditas, aut la-
bascentes vires recuperandas: quanto
æquius est, in ædibus D E O constru-
ctis, & dedicatis fieri, in quibus pre-
ciosissima salutis nostræ pharmaca con-
ficiuntur, ipsa nimirum Sacra menta
administrantur, animæ, D E I Verbo
pascuntur; vt nimirum integræ ab
omni detimento & iniuria conseruen-
tur. Et Collegiatas vel alicuius mo-
nasterij, vel Prælati ruinosas, vel col-
lapsas Ecclesiæ, Capitula, vel Prælati
earum; Parochiales autem instauren-
tur ex fructibus, & prouentibus; ad
easdem Ecclesiæ quomodo cumq; perti-
nentibus, qui non fuerint sufficentes,
omnes Patroni, & alij, qui fructus ali-
quos, ex dictis Ecclesijs, prouenientes
percipiunt,

percipiunt, aut in eorum defectum Parochiani oportunis medijs reficere, & restaurare cogantur, quacunq; appellatione, exemptione, vel contradictione remota, quemadmodum opportunè sancitum est Decreto Tridentini Concil: Cap. VII. Sess. XXI. Ab ijsdem nundinationes & mercatus Lai- corum arceantur accessus: in villis præsertim muniatur, ne brutis anima- libus ullus pateat ingressus, & eo tem- pore quo diuina celebrantur officia, aut conciones ad populum habentur, deambulationes, nugæ, & risus minimè tolerentur, vt Domus DEI, domus Orationis, & videri, & dici verè possit.

Non sine dolore intelleximus, quas- dam Ecclesias, & Oratoria publica in profanos usus conuerti, ita vt in ijs de- ponantur, quæ eiusmodi locum minime decent, vtpote ligna, asperes, Cemen- tum

tum, grana, arma bellica, &c. Hæc ut
deformitas tollatur, ex omnibus Ec-
clesijs, omnino huiusmodi amoueri aut
alias oportunè accommodari manda-
mus, ne domus DEI suo decore desti-
tuatur; Quod si in villis, præter Ec-
clesiam nullus reperiatur ad arma bel-
lica asseruanda locus, in secretiorem
aliquam Ecclesiæ partem, ne in conspe-
ctu sint, poterunt reponi. Nemo et-
iam absq; dote idonea, & licentia no-
stra, Oratorium aliquod publicum
constituat. Ciborium picturis sacris
eiusmodi exornetur, quæ populum do-
ceant in eo Venerabile Sacramentum
Corporis Christi asseruari, & quæ ad
adorandum incitent, Lychnus olei in
lampade, vel candela accendatur, ad
minus tempore diuinorum officiorum;
si tenuitas prouentum non fert, vt
perpetuo ad honorem tanti Sacramen-
ti ardeat.

Curati

Curati omnes certum aliquem lacum ad Confessiones excipiendas, in Ecclesijs suis constituant, neque is retro Altare, aut in aliquo obscuro Ecclesiae angulo existat.

Suggestus pariter, ex quo Conciones ad populum habentur oportunè, & decenter per Vitricos Ecclesiarum, Parochio monente, erigatur.

DE ALTARIBVS.

Caput II.

 Vm plerique Beneficiatorum, piarum obliiti fundationum, Altaria sua, ornamenta, Sacramque suppellectilem vel negligant omnino, vel minus aquè curent, minusque instructam, aut ornatam habeant: mandamus ut intra tres menses, post huius Syncodi publicatio-

P

nem,

nem, ornamenta sacra Beneficiati refi-
ciant, & Altaria exornent, prout hone-
stas, & loci pietas postulauerit: alio-
quin per alios, Beneficiatorum tamen
impensis cauebitur, ne quid indignum
patiatur domus Domini: In quem vsum
& fructus arestare licebit. Idem faci-
endum de domibus Beneficiatorum; ut
tempestiuè instaurentur, perpetuoq;
usufructuariorum sumptibus conser-
uentur in debito suo statu; sic tamen ut
habeatur ratio prouentuum, ne plus
quam par est, sese grauari beneficiati
conquerantur.

spisalq m V

DE SVP ELLECTILI EC- *CLESIA RVM.*

Caput III.



Atres familiâs, ciuitatis, &
mundicie in re domestica
studiosi, supellectilem etiam
mundam

mundam amant; nec satis censemus re-
liquam domum cœnaculis, & cubicu-
lis exornatam esse, nisi mundities in
utensilibus appareat. Non absimili-
modo nos quoq; æquum censemus, vt
in re sacra administranda præter tem-
pli structuram, arasq; affabré, sculpto-
ris, & pictoris, aliorumvè artificum
manu præparatas, & deuotioni accom-
modatas, supellex quoq; Ecclesiæ mun-
da, & nitida seruetur. Quare in Eccle-
sia Cathedrali, Collegiatis & Mona-
sterijs Sacristanis, in Parochialibus
verò Parocho curæ erit, vt corporalia,
& purificatoria, quæ vbi aliquando ob-
frequentem communionis usum im-
munda fuerint, à Clerico saltem Dia-
cono lauentur, in vase ad hoc peculia-
liter destinato; postea verò Moniali-
bus dentur ut purius lauent, vbi Mo-
niales non sunt, dentur alicui honestæ

matronæ: quod si vetustate attrita fuerint, in cineres concrementur, qui in Sacrario, in locum peculiarem projiciendierunt. Quæ noua substituuntur, ea ex purissimo, & mundissimo linteo fiant, & in medio, acu non pingantur.

Monemus omnes, quibus Ecclesiæ commissæ sunt, ut paramenta, & ornamenta omnia, ad Ecclesias spectantia, ut sunt; Cruces, vexilla, thuribula, vasæ asperatoria, imagines, siue sculptiles sint, vel depictæ, puluinaria, mappas, seu vela, calices, & patenas, manutergia, capsulas, ampullas, corporalia, superpellicea, albas cum stolis, manipulis, casulis, simbrijs amictis, monstrantijs, & quibuscumque alijs ad cultum diuinum, & ministerium pro Sacerdotibus necessarijs, rectè, mundè, & tute conservent, eademque reficere, & augere studeant. Vester Sacerdotalis, & ad cultum

cultum diuinum benedictæ, in profa-
nos vsus non conuertantur; sed ex an-
tiquis casulis, dalmaticis, & pluuiali-
bus; puluinaria, bursæ corporaliū, co-
opertoria libroru, reliquiaru, antipen-
dia, & alia huiusmodi fiant. Et quæ non
sunt cōlecrata, consecrentur adhuc, re-
parentur vastata, & destructa; utq; dili-
genter prospiciatur, ne rodantur per
mures, vel per vermes. In Sacristijs ha-
beantur cistæ, & almaria ad hæc suffi-
cientia & munda, & recte disposita. Si
aliquid paretur noui, non prius sacris
adhibeatur vſibus, quam ab Episcopo,
vel eius Suffraganeo benedictum fue-
rit. Nullæ imagines, quæ imperitæ
plebi ad obſcœna magis, quam ad de-
uotionem, & pietatem incitamentum
præbent, in Ecclesijs statuantur. Quæ
verò antiquitate videntur esse con-
sumptæ, renouentur; mutilæ autem, &

truncatæ , aut reparentur , aut tollantur ; neq; in processionibus publicis huiusmodi deformes imagines circumferantur.

Sancta antiquitas Organorum concentum , & instrumenta musica in Ecclesijs ad meræ deuotionis , & pietatis vsum haberi iussit , nihil igitur secularē , vanum , aut amatorium Organistæ , aut musici vñquam sonent , aut cantent .

Coemiteria , fidelium dormitoria , ne invanos , & seculares conuertantur vsus , tutō claudentur ne quadrupedibus pateat ingressus ; atque in eorum medio , vbi loci connoditas tulerit , crux erigatur .

Baptisteria seruentur munda , cuncte clausa , ac ita parata , ne aqua effluat , habeantq; opercula non spurca , sed honesta , ornata , & aliquo colore depi-

cta ;

cta; Rector etiam Ecclesiae, claves ad
Baptisterium solus custodiat, & ne
mini concredat.

Aquam benedictam, quæ singulis //
annis adhibitis oleis sacris renouanda //
est, ex baptisterio nemini dent, vel //
concedant, postquam Sacrum Chrisma //
est admixtum: quum notorium sit, //
homines sæpiissimè ijs ad supersticio-//
nes, fascinationes, & maleficia horren-//
da abuti.

DE SACRAMENTO BAPTISMA.

Caput IIII.



Vm ceremoniæ, quæ in
Sacramento Baptismatis ad-
ministratiōne adhiberi so-
lent, ab hæreticis rideantur, eamque
ob causam nonnulli in Baptizandis
infan-

ā infantibus easdem prætermittant, aut
ad libitum mutent; mandamus omni-
bus curatis, & Rectoribus Ecclesia-
rum Parochialium, vt quando anti-
quissimos Ecclesiæ ritus in Baptismo
paruulorum exhibent, sicuti eos sanctè
obseruari volumus, nonnunquam bre-
uem aliquam Catechesin, de eorum
origine, institutione, seu fine ad susce-
ptores, & astantes faciant, maximè, eo
loco & tempore, vbi, & quando ali-
quem contemptum, & horum rituum,
& latinæ linguae in qua peraguntur o-
riri posse probabiliter subuererentur.
Parochus cum honore, & reuerentia
Baptismum conferat, diligenterq; ad-
uertat vt vnustantum patrinus, vel ad
summum vnus, & vna admittatur, qui
infantem de fonte leuent, inter quos
spiritualis cognatio contrahitur, vt
Concilium Tridentinum, in Cap. II.
Sess,

sess. XXXIII. habet. Et quia in hac tota Prouincia à multis iam annis vſitatum est , tam apud nobiles, quam apud plebeios , vt ad infantum suorum Baptisma , quam plurimos inuitare soleant : diligenter Parochi ſciftabitur, quos ex illis pro veris patrinis habere velint, eosque in librum, quem peculiarem ad hoc habere tenentur, vna cum nomine infantis, patris item, & matris , & certa anni ac diei conſignatione annotabunt. Aduertent autem ne Baptifmi formam immutent, aliquid addendo , minuendouè ; eandemque obſtetrices , quæ aliquando dum Sacerdos tanta celeritate adeffe non potest , & mora periculo non vacat, infantes Baptizant, doceri curent. Quod ſi infans in necessitatis articulo ante Baptizatus, ad Eccleſiam depoſtaretur, & dubium eſſet , an Obſtetrix

Q

rectam

rectam Baptismi formam obseruasset;
eum non nisi adiecta conditione Baptis-
zent : nimirum si non es Baptizatus
ego te baptizo. **I N N O M I N E**
P A T R I S, E T F I L I I, E T
S P I R I T U S S A N C T I, A M E N.

Adhortentur Curati suos Parochia-
nos, ne infantes ad sacram Baptismi
fontem, & lauacrum deferendos, diu-
detineant; sed quantotius baptizare
curent, nec ullo modo ultra octauam
diem Sacramentum tam ad salutem ne-
cessarium differri patientur. Præterea
susceptores, seu patrinos infantis eru-
diant de ipsorum officio, quod bapti-
zato tanquam filio spirituali impende-
re, & Christianæ Religionis rudimen-
tis fideliter imbuere teneantur. Nec
permittant illis ridicula, vel gentili-
um, & impiorum hominum nomina im-
poni; sed eorum potius, quorum fi-
dem,

deim, & virtutem Christianam, in cœlis
iam dudum nouimus esse remunera-
tam.

DE CONFIRMA- TIONE.

Caput V.



Vandoquidem illis , qui à
Christo Rege in militiam
conscripti , & aduersus spi-
rituales nequitias , & tenebrarum
potestates,dum viuunt,cōtinuò pugna-
re coguntur , salutariter prouisum est
per Confirmationis Sacramentum; quo
fortiores & confirmatores ad profi-
cendum nomen Domini Iesu Christi
efficiantur : illud sanè cum deuotione
amplectendum est , Singulis itaq; an-
nis oportunis temporibus & maximè
si fieri potest , circa festum Paschæ , &

Pentecostes Dominus Suffraganeus
ad celebriores, & magis populosas ci-
uitates se conferat, & id Sacramentum
administret: Per Parochos autem po-
pulus de dignitate, & præstantia huius
Sacramenti prius erudiatur, quem, &
ad eam ciuitatem, certa præscripta die
euocare Parochi debent. Quò verò
maiori cum fructu, & vtilitate hoc
Sacramentum à fidelibus percipiatur,
omnes curati adultos admoneant, vt
non nisi post peccatorum suorum con-
fessionem, & si placuerit, Eucharistia
sumptionem, ad confirmationis Sacra-
mentum accedant. Infantes rationis
impotes, & qui ad septimum ætatis
annum nondum peruererunt: non
confirmentur; nisi rationabilis aliqua
causa contrarium suadet: quod confir-
mantis prudenti arbitrio relinquitur.
Obseruabunt etiam ne confirmandi
absque

absque suscep^tore, vel patrino compa-
reant, qui dextra suscipiat, confirman-
dum teneat, offeratque Episcopo ad-
ministranti hoc Sacramentum. Ad-
monendi etiam sunt ex Confirmatio-
nis Sacramento inter Confirmantem,
& Confirmatum illiusq^{ue} patrem & ma-
trem, ac tenentem, cognitionem spiri-
tualem contrahi, & Sacramentum hoc
sicut Baptismum iterandum non esse.

DE EVCHARISTIA.

Caput VI.



Vm diuinum illud & ad-
mirabile Sacræ Euchari-
stæ Sacramentum, panis
Angelorum, animarum nostrarum sa-
lutare medicamentum, viaticum salu-
tis æternæ, & pretiosum futuræ gloriæ
pignus, summa cum religione & cultu

ad ministrari debeat & à fidelibus par-
ticipari tanto frequentius, quo maiori,
cum dispendio animæ, illius usus in-
termittitur. Iccirco Parochi, omnes
laicos homines vtriusq; sexus adhor-
tabuntur, vt Sacro Sanctam Eucha-
ristiam, nilegitimum adsit impedimen-
tum, ad minimum quater in anno in
Pascha quidem ex præcepto; in festis
verò Pentecostes, Assumptionis Bea-
tissimæ semper Virginis DEI geni-
tricis Mariæ, & Nativitatis Domini
nostrí IESV CHRISTI, ex
pia deuotione sumant. Licet autem
ab initio Christianæ religionis, ali-
quando vnius, aliquando vtriusq; spe-
ciei, usus fuerit, progressu tamen tem-
poris Sancta Mater Ecclesia graui-
bus, & iustis causis adducta consuetu-
dinem sub altera specie communican-
di approbavit, & pro lege habendam
decre-

decreuit. Quoniam verò ex iudicto
quodam à felicis rec : Pio Papa quarto
concesso regno Boemiarum, cui Provincia
hæc , & Dioecesis Wratislauiensis in-
corporata est laicis Calicis usus sub-
certis forma, & conditionibus permis-
sus fuit ; quæ tamen in eius exhibitio-
ne , quantum experimento comperi-
mus, non seruantur, seu à communica-
tibus implentur ; nec plerumq; usus
huiusmodi reclè aut decenter ut debe-
ret à Sacerdotibus administratur : Ic-
circo nos Sanctæ Catholicæ, & Apo-
stolicæ Ecclesiarum, veterem, generalem,
atq; approbatam consuetudinem, quo
ad , Domino suffragante , poterimus,
seruare, & restituere cupientes : dile-
ctis nobis in Christo Scholarum Re-
ctoribus , & Magistris , præsentis
Decreti, tenore præcipimus , & man-
damus , ut quos instituunt, vel erudi-
unt

unt Scholares , in Scholis Parochia-
lium Ecclesiarum , ad vnius speciei
vsum , sedulo adhortentur , & suo alio-
rumq; exemplo assuefiant , & fideli-
ter de eius veritate pro captu corun-
dem informent : Et quia parentes &
propinqui Scholarium à commu-
nione vnius speciei filios subinde re-
trahere solent , Parochus , & Scholæ
Magister communicatis consilijs , cum
parentibus & propinquis agant , eosq;
diligenter & benignè admoneant , ne
huic ordinationi quæ inter cætera ad
ipsius Scholasticæ disciplinæ confor-
mitatem retinendam plurimum facit ,
contradicant , quod tum obtinebunt
facilius , vbi illos accuratè docuerunt ,
ex fide Catholica esse , tantum sub vna ,
quantum sub vtraq; specie contineri ,
ac ita sanctam Ecclesiam semper cre-
didisse : Parochi etiam & confessarij
in

in audiendis confessionibus, confiten-
tes, vbi opus erit, de veritate huius
Sacramenti & legitimo eius usu in-
struant, eisq; sedulò inculcent magis
necessarium & tutius esse vt se reli-
giose & antiquissimæ consuetudini
Sanctæ matris Ecclesiæ accommodent,
quam vt paucorum Neothericorum
non recte utentium exemplum perpe-
ram imitentur. Omnes ieuni, parati,
ac ab omni prius peccati letiferi for-
dibus, per confessionem expiati ad
hoc Sacramentum accedant, admone-
anturq; vniuersi, a suo quisq; Parocho,
vt in Sacramenti Eucharistiæ dispen-
satione astantes, genua flectant, atq;
più cordis affectu, sanctissimū hoc Sa-
cramentum adorent. Ad infirmos Ve-
nerabile Sacramentum vna ad mini-
mum hostia in ciborio relicta deporte-
tur debita cum reverentia, luminari-

R bus

bus videlicet accensis, & signo campa-
nula exhibito: Sacerdos vero stola,
& superpelliceo decenter ornatus, in-
ter eundum Psalmos recitet, moneatq;
Parochianos suos, ut illud deuote co-
mitari non intermittant: neq; prope-
ranter, sed moderato & graui incessu
progrediatur. Et cum summos Princi-
pes aduenientes, summo honore exci-
pere, & comitatui nos adiungere solear-
mus: summum quoq; honorem huic
Sanctissimo Sacramento, in quo Rex
Regum praesens est, ut exhibeamus,
recta ratio, & sacri canones nos docet.
Quo circa diligentem operam dabunt
omnes ij, ad quos huius Sacramenti
administratio pertinet, ut in ijs Eccle-
sijs, vbi fieri potest, sub Baldachino, seu
Vmbella, tam ad ægrotos, quam in pro-
cessionibus publicis deferatur. Cubi-
culum quoque infirmi ab omnibus sor-
dibus,

dibus, & inquinamentis purgetur atq;
sacris exornetur imaginibus, mensa
etiam, in qua hoc Sacramentum reponi
polsit, munda mappa tecta, & lumina-
ribus accensis sit parata. In Ecclesijs
habeantur vascula argentea, in quibus
vtraque species tutò absque effusione,
& corruptione conseruari, & ad infir-
mos deferri possit, maximè in ihs locis,
vbi vtriusq; speciei vsus ad huc retine-
tur. Sacræ hostiæ bis vel semel in men-
se renouentur. In eorum verò gra-
tiam, qui sub vtraq; specie hoc Sacra-
mentum sumere contendunt, in fre-
quentioribus communitatibus, vt pote
ciuitatum, & oppidorum vtraq; species
asseruari poterit, & saepius renouari.
In locis vero Ruralibus, non nullorum
infirmorum consuetudini, qui vtramq;
speciem petunt annuendum est, si
prius Missæ sacrificium Parochus cele-

brauerit : vbi infirmi ne ad extrema
vitæ momenta huius Sacramenti vsum
semper differant à Parochis sunt ad-
monendi.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Caput VII.

VTeorum rationem habere-
mus ad quos animæ cura in
communitatibus duntaxat
agricolarum pertinet, hunc certum or-
dinem circa missarum solemnia, die-
bus Dominicis & festis peragenda, in-
ter ipsos obseruari volumus, eumque
maximè ad eorum quibus præsunt de-
uotionem accommodatum, quæ multis
adminiculis, vt infirmitati, & simplici-
tati ipsorum consulatur, suffulcienda
est, Post tertium campanæ pulsum,
& aquæ

& aquæ lustralis benedictionem, per-
acto circuitu, in quo publicè preces
ab Ecclesia de more instituuntur : Sa-
cerdos pluuiale, quo indutus erat, ante
altare deponat, casulam assumat, &
Missam continuò exordiatur, Schola,
vel ministro Ecclesiæ, Introitū Missæ,
Kyrieleison, & Gloria, concinente:
quibus finitis, & Epistola iam lecta,
Precentor vnà cū tota Communitate,
aliquem sacrum hymnum, in vernacula
lingua, ipsis familiarem loco Gradua-
lis, decantet : Post Euangeliū &
Symbolum decantatum, Sacerdos ca-
sulam ante altare deponat, suggestum
ascendat, & plebem verbi Dei prædi-
catione reficiat. Absoluta concione, &
precibus de more dictis, ad altare ite-
rum accedat, & assumpta casula, sacrum
continuet. Post eleuationem SS. Eu-
charistiæ, quam populus flexis genibus

adorare debet, alias hymnus in lingua
vulgari decantetur , & sacro finito,
populum data benedictione in pace di-
mittat. In illis verò Ecclesijs Rurali-
bus,in quibus hymnós vulgari lingua
decantari consuetum non fuit,sed vbi
totum officium latinè canitur , nihil
immutandum est, quin imo Parochos
hortamur , vt in Ecclesijs Ruralibus
vbi scribæ , & Scholares sunt , omissis
Germanicis hymnis , dum celebrant
consuetudinem latinè cantandi totum
officium Missæ introducant. Curabi-
mus autem eorum , qui maximè huic
mysterio , & fidei Catholicæ integri-
tati congruunt,delectum fieri & quem-
admodum ordine secundum Missæ par-
tes , & festi solemnitates decantari de-
beant,typis excudi.

Sancimus præterea,& præcipimus,
ne quis Sacerdos solus ad celebrandā
Missam

Missam accedat, sed ad minimū vnum
adhibeat ministrum, qui eum modestē
vna cum libro dum è Sacristia ad Al-
tare progreditur, antecedat, & ad
publicas orationes, Ecclesiæ nomine
det responsum. In altari, quod decēter
ornatum & duabus mappis seu toba-
leis tectum esse debet, duæ candelæ
ardeant. Præter corporale mundum sit
etiam substratorium: palla qua calix
tegitur non ex membrana, sed puro sic
linteo, & cum purificatio, non cum
sacculo calix mundetur. Sacris vesti-
bus ijsdem nec laceris, nec sordidis, nec
male compositis se induant, sic induti
nemini loquantur, aut per Ecclesiam
discurrant, vel inter celebrandum in-
quietè circumspectent. Cum de Sa-
cario egrediuntur, id faciant demis-
sis oculis, non festinanti, & incompo-
sito incessu: Genusflexiones in actione
facri

faeri Canonis circa consecrationem
hostiæ , & calicis : item quotiescumque
post consecrationem hostia & calix est
tractandus , decenti motu corporis
fiant, manibus altari innixis, & scabel-
lum subpedaneum flexo genu dextro
attingant.

DE PŒNITENTIA.

Caput VIII.



Vm regeneratos postquam
ad rationis usum peruen-
runt, ex Dæmonis sugge-
stione erga DEVM infestet ingra-
titudo, vt iustitiam ipsius beneficio, &
gratiam in Baptismo suscep tam ægrè
conseruent, & tueantur ; sæpe etiam
prorsus amittant eandem, noluit sane
omnipotens, & in misericordia ditissi-
mus DEVS, opus manuum suarum
omnino

omnino perire, qui ob peccati seruitu-
tem in dæmonis potestatem deuenis-
sent, sed Pœnitentia Sacramentum,
quo lapsis post Baptismum, beneficium
mortis Christi applicatur, in reme-
dium vitæ instituit. Ab illius igitur
salutari vsu, & fructu, ne aliquis
ignorantia vel errore, quod hoc seculo
frequenter evenire solet, desistat, sed
ad eum quærendum utiliter excitetur:
Idecirco statuimus, ut post hac in ijs lo-
cis, vbi maior necessitas vel euidens
utilitas propter populi frequentiam
id postulauerit, de confessione pecca-
torum instituenda, in initio Quadra-
gesimæ Catechismus hunc in modum
doceatur. In Ecclesia, inter pueros
duos, prius ad hanc rem instructos, &
idoneos, Dialogus fiat, de requisitis, &
ad confessionis integritatem; & Pœ-
nitentia veritatem pertinentibus: idque

in præsentia Parochi , cui curæ erit,
aliquid explicatius , si astantium utili-
tas id requireret , adjicere . Parochis
ad hoc utile erit , ut diligenter se exer-
ceant in lectione alicuius summæ ca-
sum conscientiæ , & librorum supe-
rius à nobis nominatorum . In admi-
nistratiōne huius Sacramenti , eandem
omnes , & formam verborum , & absolu-
uendi obseruent modum . Formatilis
sit : Ego te absoluo ab omnibus pecca-
tis tuis , in nomine Patris , & Filij , &
Spiritus Sancti Amen . Modus autem
hic est , Misereatur tui omnipotens
D E V S , & dimissis omnibus pecca-
tis tuis , perducat te in vitam æternam ,
Amen . Dominus noster Iesus Chri-
stus , qui est summus Pontifex , te absolu-
uat , & ego auctoritate illius , licet
mihi indignissimo concessa , absoluote
in primis à vinculo excommunicatio-
nis ,

nis, suspensionis, interdicti, & quantum possum , & tu indiges, deinde te absoluo, ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi , & merita Beatissimæ semperque Virginis Mariæ, & merita Sanctorum omnium, & quicquid boni feceris , & mali sustinueris sittibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ , Amen. Wade in pace & noli amplius peccare.

Ante festum Paschæ, aut in Quadragesima, singuli Parochi , singulas obeant domos, inquirantque diligenter, & inscribant numerum eorum, qui & confiteri , & sacram Eucharistiam sumere teneantur. Animaduertant deinde, an confessi fuerint, & communicauerint: Hoc enim modo agnoscent

oues suas, & eos , qui ad Eucharistiam
non accedunt. Non prætermittant
etiam Parochianos suos exhortari, vt
ad hoc Pœnitentiæ Sacramentum
(cuius administratio laboriosissima
est) non demum in vigilia S. Paschæ
accurrant , sed potius si fieri possit in
oppidis certis tribubus , in villis verò
vbi ad vnam Ecclesiam plures villæ
pertinent, Communitatibus villarum
certos nominent dies , quibus ad con-
scientias exonerandas Ecclesiæ acce-
dant , præter id integrum erit cuiuis,
animi sui puritatem, frequenti pecca-
torum confessione conseruare.

Medici aduertant, ne facile ægroti
fuscipliant curam, antequam ipsi de spi-
rituali salute fuerit prouisum , à qua
ad corporalem medicinam salubrius
proceditur; & salubrem Pj V. Sanctæ
meæ: obseruent constitutionem , de
ægrotis

ægrotis post triduum non confessis,
per medicos non iuuendis.

Quotiescumq; euenerit, vt confessarius pœnitentem qui in casum reseruatum incidisset, absoluere non posset, eum ad nos, vel ad alium habentem facultatem absoluendi mittat; si pœnitens id facere recuset, suscipiat id curæ confessarius, vt tacito nomine illius, & caute, ne sigillum confessionis violetur, casum referat ad eum, qui eiusmodi facultatem habet, & absolutionem impetrat.

DE EXTREMA VNCCTIONE

Caput IX.



Vemadmodum Clementissimus Saluator noster, seruis suis quo quis tempore vo-

Iuit de salutaribus remedij aduersus
omnia, omnium hostium, tela esse pro-
spectum : ita Extremæ vunctionis Sa-
cramento finem vitæ tanquam firmis-
simo quodam præsidio muniuit, ma-
xime cum vehementissimos aduersarij
nostrj insultus, sub finem vitæ expe-
riamur. Non igitur intermittent Pa-
rochi hoc Sacramentum fidelibus ad-
ministrare periculose infirmantibus;
idque decenter peragant, stola, & su-
perpelliceo induti, capite detecto, lu-
mine accenso, adhibita vunctione sacri
olei sub consueta forma : Per istam
vunctionem, indulgeat tibi D E V S
quicquid oculis, auribus & similibus
deliquisti: Neque omnes corporis
partes invngant, sed eos duntaxat,
quibus natura hominis, tanquam or-
ganis sensuum prædicta est: videlicet,
oculos, pedes &c. Sicuti in Agenda
habetur:

habetur: partes inunctas bombice, aut
stuppa abstergant, eiusque combusti
cineres in sacrarium mittantur.

D E S A C R A M E N T O *O R D I N I S.*

Caput X.

Vm Sacri conferuntur or-
dines, character inuisibi-
lis animæ imprimitur, ma-
gnaque ad sacra Mysteria peragenda,
& dispensanda, tribuitur potestas, ideo-
tanto magis Ordinandorum qualitas
attendenda est, quanto ex illis, dum mi-
nus cautè discernuntur, maiora in-
mentibus fidelium scandala, & diuini-
cultus contemptus deinceps gene-
rantur. Quia igitur à minoribus Or-
dinibus, ad altiores gradus, & Sacra
Mysteria ingressus obtinetur; nem-
nem

nem ijs iniciari volumus , quem non
scientiæ spes maioribus ordinibus
dignum ostendat, quemadmodum Tri-
dentinum Concilium constituit. Hi
verò ad sacros ordines Presbyteratus,
post hac non admittantur , nisi absque
mora Diaconi facti, & nisi aliter nobis
visum fuerit , ad nostrum Seminarium
Clericorum se recipiant, atq; in eo tam
diu , donec totum illud tempus , quod
pro maioribus Ordinibus consequen-
dis à lure statutum est ibidem commo-
rentur. Quo fiet ut acuratius , quan-
tum sit huius disciplinæ pondus , edo-
ceantur , ac in unoquoq; munere , iuxta
præscriptum superiorum istius loci
exerceantur : & Sacramentorum præ-
terea tradendorum , maximè quæ ad
confessiones audiendas videbuntur
opportuna , & rituum , ac Cæmonia-
rum formas ediscere queant : Regula-
ribus

ribus duntaxat exceptis ; qui tamen
nisi institutionis suæ , morum , & do-
ctrinæ coram Examinatoribus nostris,
sufficientem rationem dederint , ne-
quaquam in Ordinandorum numerum
adscribantur. Conuenit autem ad ma-
iorem reverentiam , & maiestatem
huic Sacramento conciliandam , vt
cum cantu solenni , sacri Ordines in
Ecclesia Cathedrali , nisi nobis , vel
Suffraganeo nostro aliud visum fue-
rit , conferantur , præsentibus & assi-
stentibus Ecclesiæ , Canonicis & Præ-
latis . Cum ab Archidiacono ordi-
nandi examinantur , Suffraganeus vna
cum Domino Scholastico , Officiali ;
& Cathedralis Ecclesiæ Conciona-
tore , & Notario Capituli ab ipso
Archidiacono vocentur , simulq; in cu-
ria nostra vel alio loco commodo con-
veniant ; ij interrogent ordinandos de

T

omnibus

omnibus quæ ipsos scire oportet.
Quod si quis prædictorum Dominorū , iusta de causa examini interesse non potest , alius ut substituatur licet.

DE MATRIMONIO.

Caput XI.

Hortamur contrahentes Matrimonium , vt in Ecclesia , non alibi contrahant ; eosdemq; monemus , quod , nisi ex Trid. Concil. præscripto Parochum & testes adhibuerint , matrimonium irritum erit , & contrahentes ad sic contrahendum erunt inhabiles . Ut impudentium hominum vitetur temeritas , qui frequenter per fraudem , ac nefas , multas diuersis locis uxores ducere audent ; mandamus , vt Concil. Trid.

Trid. ea de re seruetur Decretum : ne
temerè Pastores, hominè ignotos cum
Sacramenti contumelia coniungant,
& ne quis alterius Parochianos sínē
expressa Parochi, aut nostra licentia,
ac facultate, audeat copulare.

Proclamationes ante matrimonium
veteri mori consuetas, & Decreto
Conc. Trid : demandatas, non omit-
tant Pastores; examinenturque con-
tracturi, num aliquo impedimento
prohibeantur, vt coniuges inter se
esse non possint. Si conjecturam ha-
beat Pastor impedimenti, Nos, seu
Archidiaconos, & Comissarios nostros
consulat, antequām matrimonio iun-
gat, de quibus dubitat. Qui legitimū
impedimentum sciens reticuerit, &
nihilominus coniunxerit, arbitriam
certam tamen pœnam incurret.

DE CEREMONIIS ET OFFICIIS DIVINIS.

Caput XII.



Eremoniæ Catholicæ in multis Ecclesijs nostræ Dioecesis negligenter peraguntur: cum autem his pietatis, & Religionis Christianæ signaculis, simplicium mentes in DEI cognitione eleuentur, aliorumq; Christianorum corda in commemorationem beneficiorum à diuina bonitate collatorum euehantur, & ubi fides, & deuotio acrescat, Spiritus Sanctus operetur, ac præsentium animos moueat efficaciter, conuenit sane, ut illæ sic in Ecclesijs religiose conseruētur. Nullæ vero Ceremoniæ nouiter inuentæ, & non approbatæ, in Ecclesijs peragantur,

aut

aūt recipiantur, sine nostro iudicio, & approbatione. Et cum non raro contingat, ex aliena Dioecesi Parochos in hac Dioecesi Parochijs præfici, & eosdem ritus in celebratione Missarum, ac aliarum ceremoniarum, ac Sacramentorum administratione diuersos adferre; diuersis etiam agendis uti, operam dabunt Archipresbyteri, vt ab omnibus vniiformis modus, & ratio obseruetur, quæ in Agenda Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, de ceremonijs Ecclesiasticis fuit promulgata.

DE PROCESSIONIBVS.

Caput XIII.

 **N** publicis supplicationibus, & stationibus obeundis, quorum scriptura attestante magna est, & utilis necessitas, adhortamur.

tāmūr om̄nes in Dōmino, vt in ijsdem
supplicationibus, modestiæ, & pietatis
memores, à quacunq̄ue leuitate, risu,
colloquio, & confabulatione abstine-
ant, eaq̄ deuitent, quibus diuina ma-
iestas magis ad iram prouocatur quam
ad miserationem inducitur. Quilibet
propterea clericorum habitu decenti,
& ordini suo conuenienti induatur,
locum suum competentem occupet,
Rosaria vel breuiaria in manibus
gestet.

DE CANTILENIS GER- *MANICIS.*

Caput XIII.



Vmetiam ex antiquo more,
iuxta diuersitatem tempo-
rum, diuersæ cantilenæ, in
lingua vernacula, in Ecclesijs huius

Dioce=

Dioecesis à fideli populo, vel ante, vel post concionem, soleant decantari; eam sanè consuetudinem, ut laudabilem, & devotioni plebis inferuientem, approbamus, & perseuerare cupimus: ita tamen, ut nulla cantio cantetur, quæ non in libello, quem in hunc usum singulariter imprimi curabimus, continetur; Porro illi cantionum libri, qui ab hereticis sunt compositi, vel qui heresim sapere videntur, quibus ministri Ecclesiarum in quibusdam locis vti confueuerunt, omnino tollantur.

Ministri Parochiarum, quos scribas vocant, absque vestitu, & habitu corporis decenti, quo se ministros esse DEI, & Ecclesiæ demonstrent, in choro psallere, aut cantare non au-sint.

DE RELIQVIIS.

Caput

Caput X V.

T Reliquijs veris Sanctorum, in quibus Spiritus Sanctus aliquando habitauit, & quæ de futura corporis glorificatione nos commonefaciunt, debitus honor exhibeatur ; eas in honestis loculis asseruari, in loco conspicuè ornato collocari, nec non in publicis fidelis populi deprecationibus, & supplicationibus cum omni veneratione circumferri mandamus. Prohibemus etiam ne à laicis cuiuscunque sint ordinis, vel dignitatis Reliquiæ parum reuerenter attingantur, tum ne quisquam ex capsulis, vel reliquiarijs, absque nostra licentia aliquid eximere præsumat : secus facientes : dignis poenitentiis coerceantur.

DE

DE HORIS CANO- NICIS.

Caput XVI.

A B eo tempore, quo diuinis-
tus, primum e medio plebis
selecti sunt, qui essent Sa-
cerdotes DEI altissimi: Sacerdotum
semper fuit officium, orare pro populo:
Quamuis enim Christus verè summus
Sacerdos, tempore nouæ legis uno
sacrificio sui corporis, in cruce mundi
peccata tulit: orationis tamen necef-
sitas neganda non est, cuius certè præ-
cipua cura Ecclesiæ ministris incum-
bit. Meminerint igitur omnes & sin-
guli in Sacris Ordinibus constituti,
sanctionis illius in Lateranensi Con-
cilio promulgatæ, & à Pio V. Ponti-
fice, felicis recordationis, amplius de-
claratæ,

claratæ, quomodo illi, qui in preciis
canonicis absoluendis negligentiores
reperiuntur, pœnas amissionis fructu-
um beneficij incurant, nouerintque
tales cum condigna satisfactione ad
restitutionem esse compellendos.

DE BREVIARIO ROMANO.

Caput XVII.

Inter multa, quæ Religio-
nis Catholicæ commendant
vnionem plurimum etiam
facit, vnliformis precandi, & orandi
ratio, & modus: cum Romana igitur
Ecclesia in dicendis psallendisq; horis
Canonicis, conformitatē inducendam
laudabile censemus, cū quod Breuiariū
Dioecesanum à nonnullis minus casti-
gatæ lectionis insimuletur; tum quod
Romani

Romanī officij, accuratior perfectio, &
integritas, usum eius omnibus Eccles-
ijs commendet, facile in promptu sit,
iamq; à multis Dioecesanis, & in pri-
mis Nissæ in Seminario Clericorum
recitetur. Idcirco statuimus, & ordi-
namus, ut ab omnibus Clericis secula-
ribus, quocunq; nomine censeantur,
huius officij usus post hac recipiatur.
Ad Officia verò quod attinet, quæ in
choro Ecclesiæ sub notis Gregorianis
decantantur, dabimus operam, ut pri-
mo quoq; tempore ad Romani Breuiar-
ij formam, quo ad fieri potest acommo-
dentur. Quemadmodum & ea; quæ de
patronis huius Prouinciæ peculiaria
habentur, seorsim imprimi curabi-
mus, ut Breuiarijs Romanis
aptè inseri queant.

DE MORIBVS.

Caput I.



I diligenter ea expendimus
vitia, quæ passim his deplo-
ratis seculis, selectissimum
Christi ouile infestant; vix
grauius, aut perniciosius sese offert,
quam quod in ipsis Dominici gregis
ductoribus reperitur, à quibus præcla-
ra bonorum operum exempla, & vitæ
merita expectanda erant. Quare di-
ligentiori opus esse censemus admoni-
tione, vt si totum ouile sanum, & inte-
grum cupimus, omnia ea à Pastoribus
resecemus, vnde infectionis in grege
periculum metuatur. Si enim vnica
ouis morbida, à toto gregis corpore
secernitur, & remouetur, ne contagio
in reliquias serpat, cum vnius, quam
multorum iactura leuior sit, quis non
videt

videt in ouili Christi multo maiorem
solicitudinem requiri ? vt non solum
morbidae oves excludantur ; verum
etiam opera detur , vt cuius manu &
ore pascendae & nutriendae sunt oves,
a cuius dispensatione , & cura gregis,
vel salus , vel pernicies dependet , is
integra sit valetudine , incorruptis mo-
ribus , planeque vitijs vacuam , & in-
fonsatem afferat mentem ; quod facile
eueniet si & officij sui , & se Pastores , &
Sacerdotes DEI esse , sanguinemque
oviū ab illorum manibus requiren-
dum meminerint ; si SS. Patrum exem-
pla in animum reuocauerint , qui cor-
pus & animam DEO consecrantes ,
exteriorēs etiam sensus & affectus , ita
refrenarunt , vt luculentissimo sui
exemplo , cum intima humilitate , &
conspicua integritate omnia ad gloriā
DEI , & proximi ædificationem con-
zam

ferrent, Neq; verò sufficit, Sacerdotem à vitis immunem esse; quinimo decet, ut virtutum gemmis exornatus, in populi conspectum prodeat, & munere suo fungatur, certoque sibi persuadeat, nullum rei Ecclesiasticæ, benè, feliciterque administrandæ, & populi procurandæ salutis, efficacius præsidium esse, quam si de virtutibus differentem, velut speculum virtutum coram inspiciant, & admirarentur.

Admiratio enim ad imitandum incitat & allicit, mirabilem amoris nexum conciliat, acciditque, ut ad monitoris vel Duci exemplum suos quoq; mores componere, & accommodare conentur, & in emendationis progressu inter se certent.

DE CASTITATE.

Caput II.

Omnies

 Mnes & singulos Clericos,
 in primis vero Prælatos, &
 Canonicos seriò monemus,
 & adhortamur, vt se ipsos
 omni tempore, & moribus conspi-
 cuos, & pietati castitatiq; deditos ex-
 hibeant. Contra eos autem, qui in
 conspectu populi decus Sacerdotale
 per sceleratam concubinatus fœdita-
 tem turpiter prostituere non veren-
 tur, & in maximum animarum suarum
 detrimentum in eo perseuerant, cum
 scandalo suspectas personas in domo
 vel extra detinentes; Constitutionem
 sacri Concilij Trid: tanquam salubre
 remedium opponimus, vt nisi infra
 mensem vnum, post huius Synodi
 publicationem, quam vim habere vo-
 lamus peremptoriæ monitionis, ab hu-
 iusmodi excessu reipsa ac seriò desti-
 terint, atq; personas huiusmodi penitus
 dimise-

dimiserint, pœnas in Concilio Trid;
& in priori Synodo Dioecesana con-
stitutas, ipso facto incurrant.

DE SOBRIETATE.

Caput III.



Vi ebrietatem voluntariam
dixerunt insaniam, eamque
si in pauciores producatur
dies, sæpius in manifestum euadere
furorem; plurium historiarum, tam
sacrarum, quam profanarum exemplis
edocti, retulerunt. Quotquot enim ex
summis Monarchis, & terrarum Prin-
cipibus, turpi huic ingurgitationis
vitio obnoxij fuerunt, ij cum alias nec
numerofo hostium exercitu, nec im-
brium æstu, aut frigoris inclemensia,
& horrore vincerentur, hoc vnico bi-
bendi insatiabili ardore, & scypho
fatali

fatali victi , maiestatem suam vario
vitiorum genere labefactatam prosti-
tuerunt : vt de plebis fece , mentionem
faciamus nullam , apud quam eo tur-
piora flagitia ex hoc vinoſo ebrietatis
fonte scaturiunt , quo plus affectuum
imperio regitur , vt in omni genere
detestandus sit ingurgitationis luxus ,
quod tam corporis quam animæ infir-
mitatis causam , & materiam tribuat ;
tum vel maximè in Ecclesiastici ordi-
nis hominibus , quorum sensus in per-
petua diuini ministerij actione vigere
debet . Ad evitandum verò ingens , &
periculosoſum malum , occaſiones primò
abrumpendas esse censemus . Itaque si
aliqui ex Clericis dignitatis suæ imme-
mores , in publicis tabernis ex amore
luxus , non necessitatis alicuius euentu
versari , & scandalosius viuere præsu-
mant , in eos per Officiales , seu Com-

missarios nostros, diligentius animad-
ueri, & deprehensum, pro qualitate
delicti arbitraria pœna volumus mul-
ctari. Multo maior pœna illos maneat,
qui pridie inebriati ad tremenda My-
steria peragenda, accurrerint, non ex-
piati legitima pœnitentia, & ab aliquo
designatorum confessariorum absolu-
luti: est enim valdè absurdum, præpo-
sterum, & indignum, quod Sacerdotes
velint omnem reverentiam huic Sa-
cramento à laicis exhiberi, quam ta-
men ipsi, moribus, ac religione sua non
declarent, & impudentissimo audeant
ore, quod crapulam pridianam non-
dum decoxit, ad tantum sacrificium
accedere.

DE CONFESSIONE.

Caput IIII.

Ad

AD animi puritatem confer-
uandam, cum maximè valeat
peccatorum confessio, præ-
cipimus omnibus, & singu-
lis Sacerdotibus, vt quater ad mini-
mum intra anni circulum peccata sua
verè confiteantur, suis Archipresby-
teris, vel alteri Sacerdoti licentiam
habenti, & de hoc requisiti à Visitato-
ribus per schedam fidem facere tene-
antur, subsequentis tenoris. Anno
tali &c. Die tali &c. Sacramentalem
peccatorum Confessionem mihi N.
fecit N. quod ego propriæ manus sub-
scriptione testor. Quod si quis salutis
suæ deprehendetur æquo negligen-
tior, nec huic ordinationi nostræ lo-
cum dederit, vt impietatis suæ pœnam
luat aliquam, illi partem fructuum suo-
rum ipsi defalcandam statuimus, quæ
fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco, ar-
bitrio nostro applicetur.

DE

DE HABITV.

Caput V.



If habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos tam seculares, magis autem regulares, & Monachos, vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinsecæ ostendatur: Et cum inoleverit tanta non solum Clericorum secularium, sed & Regularium, & Monachorum temeritas, religionisque contemptus, vt vestes etiam deferant publicè, statui suo non conuenientes: pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: monemus omnes qui nostræ iurisdictioni subsunt, vt habitum honestum clericalem illorum ordinis

ac dignitati congruentem deferant,
sub pœna à nobis, seu nostro Vicario,
vel Commissarijs infligenda. Quia
verò Regularibus, ac Monachis ex
Regula cuiusque Ordinis determina-
tus est habitus, in colore, materia &
forma : de secularibus verò Clericis
multa tam antiquiora Concilia, tum
Prouinciales, & Dioceſanæ Synodi
de creuerunt, ijs ad huc insistendum
censemus, & quicunq; contra fecisse
deprehensus fuerit, siue secularis, siue
Regularis puniatur.

Sacerdote Primitias celebrante,
æquum est auspiciū tanti Ministerij
gratulatione publica hilariter excipi:
sed ita tamen concedendum, vt eam
gratulationem, ac læticiam nulla tur-
pitudo vitiet; absit igitur in conuictio
temulentia, ludicra omnia, cuiusmodi
sunt saltationes, choreæ, & huiusmodi

alia prorsus tollantur. Seruetur autem
decorum per omnia, ac Sacerdotalis
ratio habeatur dignitatis.

Qui detractores, & diffamatores
aliorum existunt, & publicè velsecretè
rixas disseminant, acerbè puniantur.

Cauebunt etiam ne ad seculare tri-
bunal mutuo sese Clerici vocent, ne
pecuniam ad usuram præstent, aut
contractus illicitos constituant, sub
pœna amissionis pecuniarum: simili-
ter, & fideiußiones pro secularibus
euitent.

In ijs causis, quæ vinculum, aut
fœdus matrimoniale concernunt, aut
ab ea dependent, nemo cognoscere,
concordare, transfigere, aut definire
præsumat, qui non ad hoc à nobis, vel
à sede Apostolica facultatem obtinue-
rit: alias processus sententias, concor-
dias, & transactiones eiusmodi iudi-
camus

camus & decernimus, nullas, & friuo-
las, & quæ meritò nullum debent for-
tiri effectum. Iudices Ordinarij cau-
farum matrimonialium ante omnia cu-
rent, ne ignorent ea, quæ ad Sponsalio-
rum iusticiam requiruntur, sententiam
latino, vel Germanico sermone publi-
cent, eamq; omissis in ea decidendi ra-
tionibus, claram, & absque omni ver-
borum ambiguitate concipient. Nemo
in tantæ auaritiæ prorumpat cupidita-
tem, ut lucri gratia aliena prædia con-
ducat, vel alia re, illicita, & à S. Cano-
nibus prohibita, cupiditati suæ satis-
facere studeat.

Cumque omnes Religiosi, qui se
diuino cultui, spretis mundi illece-
bris: deuouerunt, in altiorem sublati
locum conspiciantur, & in eos tan-
quam perfectionis speculum, reliqui
oculos coniçiant, & ex ihs sumant,
quod

quod laudabiliter imitentur : decet omnino ut ipsi status , & obligationis suæ sint memores, eaq[ue] deuitent, quæ ab illius dignitate aliena sunt ; quæque ad eandem , tum augendam, tum retinendam faciant, sedulo exequantur.

In primis igitur decretis Tridentini Concilij inhærentes ordinamus, vt Monasteria, in quibus viget regulis obseruantia, si eorundem superiores admoniti infra sex menses non visitauerint, vt ad nos visitatio, & correctione illorum deuoluatur. Quod si prætenderint se à iurisdictione nostra esse exemptos, neque eam admittere vellet, aliud nos facere non poterimus, nisi, vt secundum Concilij Tridentini: præscriptum contra ipsos procedamus.

Qui extra Monasteria viuentes, ita notoriè deliquerint , & populo scandalum exhibeant, à suis superioribus

bus dignis pœnis coercentur : quod si à nobis moniti illud facere Superiores intermiserint, ne peccata impunita maneant, Nos ipsi in illos animaduertemus, auctoritate nobis à Trid: Concil: tributa.

Ea autem loca, quæ à deuoto fœmineo sexu Religiosè inhabitantur sub Monastica disciplina, aut regulari obseruantia : nemo ingrediatur, sed ex Pij V. fe. rec. constitutione , Monastica clausura perseueret, nec sibi liberius extra diuagandi licentiam assument, neq; aliquo modo Monasterio egredi permittantur.

DE TEMPORA. LIBVS.



Ollatores Beneficiorū Ecclesiasticorum, aut qui ius præsentandi habuerint, caueant,

Y

ueant, ne lucri alicuius gratia, aliquem ad ea promoueant, nec quicquam vel vltrō oblatum accipient, dignis tantum, & habilibus personis, ea conferant.

Quicunq; ius habent præsentandi, nobis, aut alijs, quibus ius Inuestendi legitime competit, præsentent, non autem de facto conferant.

Illud etiam in communi præcipimus, & seriō mandamus quibuscunq; Sacerdotibus, ne Parochias vllas sine Canonica institutione, seruata forma concursus à Concilio præscripta accipient.

Vbi etiam habenda est ratio eorum, qui continuis, & perpetuis obsequijs deseruiunt Ecclesijs, ne ipsis, cum pondus diei, ac aestus ferunt, in beneficiorum, ac altarium collatione præfendantur alij, qui propter otium, & pigratiam

gritiam non merentur , aut quos iura
etiam quo minus capaces sint exclu-
dunt.

Neq; vlla electio in quibuscumq;
Monasterijs siue exemptis , siue non
exemptis per absentiam Commissario-
rum nostrorum administrata, Cano-
nica, & legitima censeatur ; sique con-
stitutioni huic alicubi non obtempe-
ratum, sed secus aliquid factum fuerit,
solenni præmissa protestatione, de nul-
litate actus procedatur .

Cum fermè omnes Parochi, aut de
tenuitate suorum prouentuum , aut de
alienatione quorundam censuum, fru-
ctuum , agrorum , & similium ; aut de
carda, ac molesta decimarum solutione
conquerantur : volumus ut omnes Pa-
rochi , sua vera grauamina conscri-
bant, eaqué quotannis in conuocatio-
nibus suis, Archipresbyteris tradant,

hi autem cum suis Archidiaconis, & Commissarijs nostris eam rationem in-eant , qua his incommodis succurri possit, demum nobis rem omnem inte-grè indicent & exponant.

Et cum post obitum Altaristarum & Sacerdotum multorum Beneficio-rum, & Altarium Regesta suppriman-tur , & beneficia Ecclesiastica sic pau-latim intereant , aut in laicorum , seu etiam hæreticorum veniant manus: omnibus sub pœna amissionis , ac pri-uationis iniungimus , ut Regesta , vel literas censuum suorum reddituum , ac drouentuum , in originali , nobis intra trimestre spatium exhibeant , quæ in nostra Cancellaria , aut in Ecclesiaz , Cathedralis Archivis asseruentur : Copia autem seu transsumptum Au-theticum Regestorum , & literarum ex nostra Concellaria , Beneficiatis patentibus concedatur.

Ne

Ne etiam propter imperitos , ac illiteratos Ecclesia detrimentum aliquod patiatur, aut animarum negligatur cura; Archidiaconis, & Visitatori- bus nostris injunctum volumus, & cum scitu & voluntate nostra ihs, qui Parochijs præsunt, & vel ob ingenij exiguitatem, ac doctrinæ tenuitatem vel populi numerosam multitudinem, tanto oneri non sufficiunt, cogant Rectores adiungendos sibi coadiutores & Vicarios idoneos , & his congruam fructuum portionem assignent, & alias iuxta Trid: Concil: Decretum quod diligenter exequicurent.

Sæpius Parochorum negligentia, & incuria, ædificia fastigata non conferuantur. Vnde fit, vt Parochiani aliquando nimium grauentur, si domus, horrea, stabula, à fundamentis veluti ædificanda sint , Archidiaconi itaq; &

Visitatores, Parochos admoneant ut
sartatecta conseruent, aut patronos
Ecclesiæ mature & in tempore certio-
res reddant, qui efficient ut ea mature
& opportune instaurentur.

In omnibus vniuersim Parochijs
obseruari volumus, aliquot ut Rege-
storum libri perpetuò extent, & à Pa-
rochis asseruentur. In priori omnia
Ecclesiæ eius Parochialis preciosiores
res, vasa aurea, argentea, & clinodia,
vestes sacras, aliaq; cuiuscunq; generis
fideliter annotatas habebunt. In se-
cundum, baptizatorum, patrinorum, ac
parentum nomina diligenter inscri-
bent, cum anni, mensis, ac diei certa
consignatione. Tertius liber nomina
matrimonium contrahentium (vbi
temporis etiam exacta mentio adiici-
enda est) sibi vendicabit. Quartus no-
minibus eorum, qui ex hac vita dece-
dunt,

dunt, cum simili temporis annotatione,
inseruet. Quintum solers Parocho-
rum Oeconomica disciplina adiicit,
in quem redditus, census, fructus, pro-
uentus omnes, accurate & integrè con-
scribent, & singulis annis repetent. In
prioribus quatuor libris conficiendis,
si perspicax Archidiaconorum oculus
calamum Parochorum, oscitantiorem,
aut negligentiorem repererit, non im-
punè quidem euident Parochi : gra-
uius tamen , & quidem defalcatione
quartæ partis fructuum eos puniri
mandamus , qui in quinto libro confi-
ciendo voluntati nostræ , & constitu-
tioni huic non satisfecerint : sed tam in
Ecclesiæ , quam proprijs commodis
socardes , & dormitantes fuerint re-
perti.

Ea bona, quæ ad Ecclesias, Mona-
steria, vel beneficia, spectant, non tan-
quam

quam propria , & sua , sed vt Christi
patrimonium tractare : usurpare qui-
uis meminerit : inq̄ eum conuertat v-
sum , in quem fundatores olim humili-
in Deum obseruantia conuerti volue-
runt ; omnino autem non alienet , niti
in casibus á iure permisis , qui secus
fecerint , pænam priuationis , admini-
strationis , & suspensionis , officiorum
suorum incurrit.

Statuimus præterea , & ordina-
mus , vt eo tempore , quo Beneficiatis
suorum beneficiorum possessio datur ,
præter antiqua , quæ extare volumus ,
noua iterum Inuentaria , & inscriptio-
nes omnium bonorum tam immobi-
lium , quam mobilium ad ipsa beneficia
spectantium conficiantur , vel per No-
tarium publicum , si haberi poterit , aut
alium ex illa communitate hominem
fide dignum , aut per Vitricos etiam
Eccle-

Ecclesiæ, qui omnia vasa sacra, vestes,
fundos, agros, domos cum qualitatibus
& confinijs suis accuratè annotabunt.

Omnes etiam Clerici Beneficiati
Studiose inquirant, vt detentores iniu-
stos, seu occupatores bonorum Eccle-
siasticorum, seu decimarum, allodio-
rum, domorum, & censuum ad nos de-
ferant, re prius cum Officialibus &
Commissarijs nostris communicata:
Idem fiet in eo casu, in quo impedimen-
tum, seu diminutio aliqua in rebus ad
Ecclesiam, vel beneficium spectanti-
bus, infertur.

Ne Ecclesiarum, atque Ecclesiasti-
carum personarum immunitates, &
privilegia violentur, Præfeciis nostris
seriò mandamus, sub grauissima in-
dignatione, reliquos verò magistratus
seculares vnà cum SS. Concilio Tri-
dentino, obnixe rogatos esse volumus,

ut ea quæ non solum à Summis Pontifi-
cibus; sed etiam supremis Principibus
concessa sunt, secundum Iuris Ciuilis,
& Canonici dispositionem integra
permanere patientur.

Nemo Beneficiatorum debita enor-
mia, & quæ facultatibus, & fructibus
sui beneficij non respondent contra-
here præsumat : quod si quis modum
excessisse comperietur : Officialibus,
Commissarijs, & Archipresbyteris
iniungimus, ut absq; vltiori dilatio-
ne, rationem administrationis ab illo
exigant, & terminum solutionis cer-
tum constituant. Quo elapso, si credi-
toribus non fuerit satisfactum, certa
fructuum suorum portio, per curato-
res á nobis constituendos in hunc v.
sum defalcabitur.

Si qui etiam ex Clericis, pupillo-
rum, personarum miserabilium sunt
tutores,

tutores, vel in posterum fient; serio prohibemus, ne absque facultate nostra, vel nostrorum Officialium, vel Commissariorum, bona mobilia, vel immobilia, multo minus pecuniam, quovismodo ratione tutelæ, ad se recipere præsumant.

Cum munera excoecent oculos Sapientum, & mutent verba iustorum, vltimâ hac constitutione monemus, caueant Iudices in foro Ecclesiastico, ne à partibus coram se litigantibus, munera quæcunque & quovis etiam prætextu accipiant; si enim delinqui hac in parte aliquid animaduerterimus, ne impune ferant, nobis curæ erit.

Has constitutiones huic prouinciæ, hisque hominum moribus accommodatas Illustrissimus & Reuerendissimus, in Christo Pater ac Dominus

Dominus ANDREAS, Dei &
Apostolicæ sedis gratia Episcopus
Wratislauiensis, Coronæ Bohemiæ
Princeps Ligijs, Sac. Cæf. Maiestatis
Consiliarius, & Supremus Superioris
& inferioris Silesiæ Capitaneus, in
Dioecesana Synodo vnanimi omni-
um approbatione publicari curauit,
reseruata, humili obsequendi studio &
singulari obseruantia Sanctissimo,
D.N. Et Sanctæ sedi Apostolicæ liber-
rīma censura, & iudicio. Sicuti enim
se ipsum Reuerendissimus, & Illustrissi-
mus Dominus Episcopus Sanctitatis
suæ voluntati permittit: ita expressæ, &
semel, acq̄ iterum solenniter repetita
protestatione, testatum publicē fecit:
Reuerendissimus Dominus Episco-
pus, si quicquam S. D. N. Sanctaq̄ se-
des Apostolica reperiat, quod fidei
Catholicæ articulis, sacrorum Cano-
num,

num Sanctionibus, unitati & consensu Ecclesiæ; in primis SS. Oecumenico Concilio Tridentino quo quis modo repugnare aut hæresis contraxisse saporem videatur: se id omne pro non dicto, non scripto habere, censuræ subiçere, & S. Sanctitatis Clementem, & benignam voluntatem, cui omnino obscurare velit, expectare.

NOs Hieronimus Tituli Sancti Pancratij: S.R.E.Presbyter, Cardinalis Matthæius fidem facimus, & attestamur, decreta facta in Synodo Dioecesana Wratislauiensi, à Perilustri & Reuerendissimo Domino Episcopo Wratislauensi, & ad S. D. N. missa: à sacra Congregatione Illustrissimorum Patrum Tridentini Concilij interpretum emendata, atq; aptata fuisse, nec non eorundem decretorum Originale apud ipsam Con-

gregationem remansisse , cum quo
huiusmodi Decreta hoc libello char-
tarum XXXVI. Quarum prima inci-
pit , Ordo & processus Synodi Dioe-
cesanæ &c. Postrema vero , Has Con-
stitutiones &c. Et desinit , velit expe-
ctare . descripta , & collata in omnibus ,
& per omnia concordant. In quorum
fidem his propria manu subscrisimus ,
& ab infra scripto Secretario item sub-
scribi sigilliq; nostri impressione com-
muniri manda uimus. Datum Romæ
die XXV. Augusti, M. D. XCIII,

Hier. Card. Matthæius.

Bernardinus Rossius pro
Secretario.







Śląska Biblioteka Publiczna

922775	I
922776	Pl.

Min. Ośw. 507a — PLWS C850 X. 49

Digitized by
OGL



Digitized by
OGL

Digitized by
OGL

Digitized by
OGL